

**Christophori Füreri ab Haimendorf, equitis aurati, duumviri Reip.
Noribergensis primarii, & in rebus bellicis consiliarii supremi &c.;
Itinerarium Aegypti, Arabiae, Palestinae, Syriae, aliarumque regionum
orientalium. [Tr. by G. Richter] Addita est oratio funebris [in autorem] et
carmina exsequalia. Pls manibus summi viri scripta, cum auctario aliorum
ejusdem honori nuncupatorum / [Christoph Fürer].**

Contributors

Fürer, Christoph, 1541-1610.

Publication/Creation

Norimbergae : Ex officina Abrahami Wagenmanni, 1621 [col. 1620]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a2syy7vf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

31

A LA TOUR DE BABEL.
LIBRAIRIE ORIENTALE ET EUROPÉENNE.

MAISONNEUVE & C^{ie}, Éditeurs,
15, Quai Voltaire, à Paris.

Livres pour l'étude
de toutes les langues vivantes
Guides
de la conversation.

Itinéraires
pour tous les pays.
Grand assortiment
de librairie ancienne.

2471 | B

Fürer (Christoph)

Ex LIBRIS, REMIGIUS,
ERIC FISHER, AB LANGLEY.

4585.

870

A LA TOUT
LIBRAIRIE OBIE

MAIS

V
E. 481

81585.

CHRISTOPHORI FÜRERI ab Haimendorf,

**Equitis Aurati, Duumviri Reip.
Noribergensis primarii, & in rebus bellicis
Consiliarii supremi &c.**

ITINERARIUM
ÆGYPTI, ARABIÆ, PA-
LÆSTINÆ, SYRIÆ, ALIA-
RUMQUE REGIONUM
Orientalium.

Addita est Oratio funebris & carmina
exsequalia

PLS MANIBUS SUMMI VIRI

Scripta,

cum

Auctario aliorum ejusdem honoris nuncupatorum.

ପ୍ରକାଶ ପ୍ରକାଶ ପ୍ରକାଶ ପ୍ରକାଶ ପ୍ରକାଶ ପ୍ରକାଶ ପ୍ରକାଶ ପ୍ରକାଶ

NORIMBERGÆ

Ex officina Abrahami Wagenmanni.

clci Ic cxxl.



In Am.





In Amplissimi & Nobilissimi Viri
DN. CHRISTOPHORI FÜRERI,
Equ. aurati, ordinis vii virum Reip. Norimb.
florentissimæ præfecti &c. icona.

I Vi Solymos vidit, clarus sagoq; togag;
Præpetibusq; jugis fixit vestigia SINÆ,
(Sacras quæ Tabulas accepit Legifer He-
(contigerat cui soli olim cum NUMINE fari) (ros,
Qui septem gemini gustavit flumina Nili,
Jordanisq; undas, adiit Libanumq; feracem:
Vt Melitentaceam, sileam quoq; Pannonis oras:
Qui Cato, qui Nestor, Pericles qui NORIDOS urbis
Dicier emeruit, Patriæ moderatus habenas, (lymphi
CHRISTOPHORUS sic ora FÜRERUS habebat. O-
Te Rector ducat rectum, Te sospitet avum.

Georg. Remus JC.



In in-



In insignia Nobilis FÜR E- RORUM familiæ.

Vid rotulæ? Pro avum genus immortale cele-
brant,
Quod, rutilum veluti sidus, sine fine rotatur.
At, rogo, cur mediâ cernuntur parte resecta?
Firmiter ut dubia Sortis discrimina ludant.
Lilia quid referunt? floremq; decusq; perenne.
Cur candore micant? nempe hac est candida Virtus,
Hac antiqua fides, nulla fucata colore.
Armigeri quid juncta Jovis pernicibus alis?
Ista ut fama Virum vigeat, volitansq; per auras
Nominis aeternâ sic Nobilitate serenet.

Ern. Sonerus Med. D.

)(3 DOMI-



DOMINICUS BAUDIUS JC.
lib. i. Jamb.

MAcrescit ager atq; cor suum comedet,
Quem triste virus afflat invidentia.
Cuncta alia nequam M o m u s hoc habet boni,
Malo quod acri congreges mactat suos.
Opto invideri. Nam velut fumo nequit
Carere flamma: fama sic fulgens trahit
Livoris umbram. Nil simulates moror
Vatiniorum, queis probari opprobrium est,
Laus displicere: duplices odi male
Tectásq; mentes. quippe pectoris sinus
In fronte promptos gestitamus ac stylo.



LECTO-



LECTORI

S. P.

Quod libellus hic publico donatur,
non fit illo delirantis seculi more,
quo mundus hic insanabili scriben-
di cacoëthe æger, immortalitatis
pretiū putat febriculosum aliquid
scripsisse, aut quod jam ab aliis dictum prodi-
tumq; sit, ceu cramben recoctam apposuisse; ma-
ximamq; gloriam in maximo librorum ponit nu-
mero. Est hæc insana illorum febris, qui dum in-
ertiâ demersi, aliter se humo tollere non possunt,
paginas suas in vulgus extrudunt, lectorumq; bo-
nis horis malè abutuntur, Caligulâ aliquo digni,
qui eos spongiâ linguâvé delere scripta sua jube-
at, aut in profluentem abijci, nî ferulis objurgari
velint. Alio fine Itinerarium hoc edi permiserunt
heredes CHRISTOPHORI FÜRERI manaeitg, He-
rois pulcherrimo illo Apuleii elogio digni, hoc
est,

est, inter Doctos Nobilissimi, inter Nobiles Doctissimi,
inter utrosq; Optimi, addendum, inter omnes
Modestissimi, cuius virtutes nostrâ laude & seculo
maiores, nemo, qui cœperit, mirabitur satis. Cum
enim ille præclaris Virtutibus in amplissimo ho-
norum fastigio collocatus, de se suisq; itineribus
(quæ pauci hodiè suscipiunt, eâ, quâ ille, prudētiâ
absolvunt paucissimi) semper quam diu vixit mo-
destissimè sensisset, & non nisi rogatus, aut occasi-
one datâ quasi jussus de ijs apud alios verba fecis-
set: factum est, ut multi, quæ ille de itinere suo Ori-
entali admirandâ cum diligentia annotavit, typis
describi, suamq; cupiditatem narratiunculis ipsi-
us motam publicâ Itinerarii editione expleri desi-
derârint. Verùm Ipsi, gravioribus Reipubl. curis
ad ultimum usq; spiritum distracto, morem amicis
gerere hac in re non licuit, neq; forsan per Mode-
stiam, cæterarum virtutum suarum condimen-
tum, libuit. Ut verò pro patre hoc quasi nomen
expungerent filii, CHRISTOPHORUS, JOAN-
NES SIGISMUNDUS, & JOANNES MAURI-
TIUS FÜRERI, quos ille Virtutum juxtâ ac bo-
norum heredes reliquit: hoc, quod yides, parentis

Itinera-

Itinerarium lucem tandem aspicere passi sunt;
Augustum illum Cæsarem imitati, qui Virgilii Æ-
neida contra testamenti ipsius verecundiam ab
interitu vindicavit. Quæ illorum Pietas tantum
abest ut cuiusquam Momi reprehensionem, aut
malevoli invidiam excitare debeat, ut potius bo-
norum omnium laudem atq; imitationem merea-
tur. *Pulchrum enim est*, inquit Plinius, *non pati oc-*
cidere, cui aeternitas debeat, aliorumq; famam
cum suâ extendere. In primis verò ipsis filiis suis, de-
functi Auctoris nepotibus, CHRISTOPHORO,
GEORGIO SIGISMUNDO, & JOANNI LE-
ONHARTO FÜRERIS, cæterisq; posteris suis, si
qui futuri sunt, hoc quasi incitamento calcar ad-
dere voluerunt, ut cujus avi illi nomen haberent,
ejus aliquando virtutes & præclarè facta, quæ li-
bellus iste loquitur, imitari conaréntur. Ea inter ex
innumeris illud heic silentio præterire non debeo,
quòd Auctor p. m. præclarum illud D. Hierony-
mi dictum *in prefat. in libr. Paralip.* pro non po-
stremo itineris sui Orientalis incitamento semper
habuit, nimirum, quomodo *Græcorum historias*
magis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium
XII Virgili

Virgiliū librum, qui à Troade per Leucatenē & Acro-
ceraunia ad Siciliam, & inde ad ostia Tyberis navi-
gaverint: ita sanctam scripturam lucidius intueri
eum, qui Iudeam oculis contemplatus sit, & anti-
quarum urbium memorias, locorumq; vel eadem
vocabula, vel mutata cognoverit: quem stimulum
cum primis æstimandum magni esse, omnemq;
laudem excedere, nemo sanus, credo, inficias ibit.
Reperies igitur heic, Lector, ut speram⁹, quæ pro-
derunt & delectabunt, stylo non ornato aut ex-
celso perpolitoq;, sed communi & quo in collo-
quendo quotidie utimur, qui, ut mulieres nonnullæ
inornatæ hoc ipso pulchræ sunt, ita ob id ipsum
quod negligentiam pro cultu habet, lectorem de-
lectare solet. Consuetâ tamen æquitate erga nos
quoq; uti Te volumus, & nequaquam existimare,
quasi in tantâ communis naturæ imbecillitate so-
los nos superesse putemus, quibus interdum opus
veniâ non sit: quin imò ut idem Plinius nullum li-
brum aiebat esse tam malum, qui non aliquâ parte
professet; ita nos nullum tam bonum esse arbitra-
mur, ut non excusari aliquid in eo debeat. Vale.

GEORG. RICHTER JC.



AD NOBILISS. AM.
pliss. q; FÜREROS fratres
alloquium.

NERUM amo: &, quod Karthaginis con-
ditrici reginaq; olim adcidisse Andinus
cecinit vates, TRIGA germanorum flo-
rentiss. & honoratis. qua Anchise F.
Æneam hospitem novum, apud se Troia fata pero-
rantem avidissimè audiens, auribusq; verba bibens;
Expleri mentem nequit, ardescitq; tuendo;
o'dame exèr, geographica simul & historica bello ordine
filoq; Palladio pertexens, evolventi mihi contigisse
dixero liberrimè. Adeò expleri animus lectione vix
potuit meus: adeò exardescet totus oculis lu-
strans hoc scriptum. O geèw ciebat legenti rerum dulce-
do: attentionémq; acuit magnitudo: & abripuit ve-
lut torrens quidam, varietas multiplex: dum res
florido aquabiliq; ductu, cœn flumine, placide labente
)()(2 dicendi

dicendi genere exposita mirabiliter me attinueratq;
affecere. Quod alijs, aut omnia fallor, itidem vide-
bitur, qui modò periculum facere lectionis non gra-
vabuntur.

Auctor ipse, Dn. FÜRERUS, parens uester,
ο μακαρίης, iter hoc longinquum in Orientis plagam
suscepit, non ei fini, quem divinus Plato, Tullio dictus
ingenij princeps, XII θεονόμων dialogo jure merito tan-
git hisce verbis: πέφυνε δέ πόλεων ἐπιμιξία πόλεσιν ἡθη καιρονύμαι παν-
τοῖς δαπάναις, καθηνομίας αλλήλοις ἐμποιεύντων ζένων ζένοις. ὅδη τοις μηδὲν πολιτευο-
μένοις διὰ νόμων ὁρθῶν βλάβην ἄν φέρει μεγίστην πατῶν: hoc est, ut cor-
ruptos mores Reip. patriæ inferret (abesto omen) sed
potius apes imitatus, quæ floriferis in saltibus omnia
libant, præstantiores succos ex herbis assumentes mel-
la favosq; inde condunt, vespis atq; araneis venena
relinquentes: ita ille optima quæq; visa in usus suos
convertit; mores bonos probosq; adnotavit; quæ con-
traria, aversatus est, εἵ fugienda alijs censuit. Au-
ctor, inquam, sibi visa, non ab alijs efficta, acceptaq;
aut quæ mutuatus sit ex alior. itinerarijs, aliena com-
pilans scrinia, prodit: sibi audita, αὐτόπτης ηγε αὐτακεστης
scripsit, φιλαληθέσατο, ac proinde αξιόπιστος: vir, verita-
tis cultor tenacissimus: ne quis sibi imponi putet ijs,
quæ

que hic commemorantur. Et verò veri studium in
eiusmodi scriptis περὶ τῶν requiritur, unicè laudatur.
Vir hic FÜRERUS vixit ex acrius acri judicio præditus
quandoq; subiicit, quod sibi licuisse putavit
suo jure; atq; etiam debuit. Res sunt gravissimæ;
quod in id tempus ferè inciderit hoc iter, quo bellum
omnibus viribus movit Mustapha Bassa homo, cui
tigres Hyrcana ubera admôravit, Equitum Rhodior.
Ordini, Melite qui sedem ex liberalitate KAR. V.
Imp. Augusti paulò antè fixerant, quam insulam
Valetta Parisotus magnus magister defensabat for-
tissimè, ita ut iratus Bassa re infectâ abscedere coa-
ctus fuerit; quam oppugnationem fuisse depinxit
THUANUS, nostri aevi Livius. Dedit verò an-
sam exadficandæ Valettae oppugnatio illa, quæ propu-
gnaculum Italæ, si fas dicere, inexpugnabile, modò
tamen τὸ χειροποιὸ manus humana demoliri nequeat.
Et adiit Orientem FÜRERUS, eo adhuc seculo, quo
Ecclesiæ Syriacæ, Ægyptiacæ, paulò fortè melioris,
quam nunc sint, condicionis fuere, in quarum aliqui-
bus uiā πάταγον in usu deprehensa, quando interea multæ
illarum evastatae conciderint. Verum hæc & alia,
lectio ipsa docebit diligens & accurata.

BONUM porrò FACTUM dixerim, quod inter-
pretem, siue παραφεγμον huic OPERI delegeritis Cl. V.
Georg. Richterum JC. collegam & amicum meum
singularem, quem encomio frustrari debito, nefas o-
mnimodis ac piaculum censeo. Eum ex Gallijs, Bri-
tannijs, Belgio τη̄ αἰαθῆ̄ τόχη̄ reducem, (ubi CL. & eru-
ditiss. V. Dn. Danieli Heinsio, REGIS Suecor. Con-
siliario, Acad. Lugd. Batav. Professori laudatissi-
mo, in primis Iurisconsultor. Ordini ταῦς συζητήσεων in-
stitutis sese probavit,) dare hoc posteritati voluistis.

Bonum factum, quòd in hominem disertum Ho-
dæporicon inciderit, quod Romanè expressit: neq;
verò is verbum verbo reddere contentus, sed auctoris
sententiam mentis verbis commodis selectisq; reli-
giosè exhibuit: quo nomine Palmarium, apud poste-
ros longè gratissimas gratias promeritus est: lectores
modò benivolos nanciscatur, non morosos morda-
cesq; quos non hilum morabimur. Plausum feret,
omniumq; punctum, si quid rectè ominor, RICHTER-
RUS. Verū ego is non ero, qui prolixius frustra meam
operam ludens, oleum perdam commendatione ope-
ris huius, atq; etiam paraphrasta, ne in illud, quòd ex
Sarsinatis Poëta theatro usurpant vulgo,

Vendi-

Vendibili vino hederâ non esse opus,
peccem. Calamum heic ponam, ubi Vobis, Viri Am-
plissimi & Prudentiss. fratres, T A N T I Patris suboles,
Numen pro salute vestrâ deveneratus, m d c e m ad-
precatus fuero: quibus ad Clavum Reip. patriæ se-
dentes faustis ominib. pro virili vestrâ cum P R O-
P I T I O D E O , civitati Pacem ubertatemq; rerum
procuretis, ac prudenter justeq; præsitis ut propositis, pa-
ternar. laudum amuli, quas equidem non imber e-
dax, nulla oblivio, delebit. Hoc in voto desinam. Va-
lete quam felicissimè. Norimbergæ, proprid. K L.
Sextil. Anno Gratiæ c I o . I o . c x x .

Vester ολοζύμως

G. Remus.



In

In famam posthumam
Summi & incomparabilis viri
CHRISTOPHORI FÜRERI

ab Haimendorf &c.

a Nobiliſ. Filijſ ei pos.

Si quis in hac aeti supereft labante senecta,
Prisca cui placeat cum Pietate Fides:
(ui Rectum & Verum, cui Virtus emula cœlo,
Gloriaq; his studijs parta & honorus apex.
Hunc oculis animoq; frequens per volve libellum,
Furerumq; vide, mente bibace, Patrem.
Flletibi speculum verae Virtutis Honorisq;
Exhibit: heic Vero cuncta minora leges.
Huius ad exemplum vitam componere suseſce,
Qua licet, (aquare hunc vix rear esse hominis)
Et tibi juratus Famæ ſpondebo trophæa,
Incingetq; omni Gloria honore caput.
At Vobis, Fratres, qui magno Iusta Parenti,
Nunc Divo, salsa cum lachrymis facitis:
Posteritas tribuat cognomina honesta Piorum,
Causa Anchisiades non meliore Pius.

Michael Piccartus F.

CHRI-

CHRISTOPHORI
FÜRERI ab Haimendorf,
EQUITIS AURATI &c.

Itinerarium

ÆGYPTI, ARABIAE, PALÆSTINÆ,
SYRIÆ, aliarumq; regionum Orientalium.

Pos t quām magnām partēm Italiæ, nempè regnum Neapolitanum, Siciliam, & Meliten Insulas, atq; alia loca plura insulasq; biennio integro, nimurum annis Gratiae M. D. LXIII & M. D. LXIV peragrassem ac Venetias rediissem, convénit inter me & ALEXANDRUM SCHULBURGIUM Marchicūm, Equitem Nobilissimum juxta ac fortissimum, de adeundo Oriente, cui fini navem Barbaram à familiâ patriciâ dictam conduxeramus. Adcidit verò ut cùm XXI. Julij die, Anno M. D. LXV paulò ante Solis occasum scaphâ (uti solet) ad ripam D. Marci templo vicinam stante, navim in alto expectantem adire vellemus, ventus tempestuosus illâ ipsâ exsureret horâ, cuius impetuositate naviculae aliquot eversæ, & per urbem alia damna causarentur. Unde factum ut ad horam usq; tertiam noctis expectare cogeremur, donec

A

sudo

- Parentium.** sudo facto ad navim nobis egredi liceret. Solventes
 itaq; tunc cum bono D E O, X X I V. Julij die littus Istriæ
Pola. legimus, & oppida Parentium & Polam transivimus'.
- Crespa.** XXVI. Julij vidimus in sinu Fanatico urbes Cre-
Apsorum. spam & Apsorum veteribus dictas ad lœvam : ad dexte-
 ram verò Apenninum propè Ariminum, Pisaurum,
 & Seno-Galliam, & montes, in quibus Ancona jacet:
DELPHINI. quo die Delphinūm copia ad navem adnataverunt,
lib. 9. cap. 8. & qui Plinio teste, tranquillo mari lascivientes creduntur
lib. 18. cap. ult. tempestatem, turbato verò tranquillitatem nunciare.
Brundusium. III. Augusti ad dextram Brundusium conspexi-
Dyrrachium. mus, ad sinistram Dyrrachium in Albaniâ, quam Ur-
 bem M. Tullius exilii sui tempore, donec per Senatus-
 consultū in urbem revocaretur, officiosissimam exper-
Acrocerau- tus est; item promontorium Acrocerauniæ in Epiro.
nia.
Corcyra. IV. Augusti in conspectum nostrum venit Insula
Cephalenia. Corcyra, hodiè Corfu. Deinde Cephalenia, & non pro-
 cul inde nemorosa Zacynthus, in qua insulâ Cœnobiti-
ZACYNTHUS um est, nomine Mariæ de Gratiâ, in cuius templo A N-
Montemen- D R E A S V E S A L I U S Bruxellensis, Medicus & Anatо-
tum Vesalii. omicus Clarissimus sepultus est, cum hac inscriptione:
 ANDREÆ VESALII BRUXELLENSIS TUMULUS,
 QUI QBIIT ANNO DOMINI M. D. LXIV. ID.
 OCTOBRIS, CUM EX HIEROSOLYMA REDISET,
 Anno Ætatis suæ LVIII. Fuit autem Zacynthus o-
 lim colonia Achæorum Peloponnesiacorum, & Atheni-
 ensibus födere juncta, quam Insulam parvam licet,
 Lacædemonii tamen cum eam duce Cnemo Spartia-
 tâ cum centum navibus & militibus mille graviter
 oppugnarent, ob incolarum fortitudinem capere non
 potuere, sed re infectâ domum redire coacti sunt,
 quam gentis virtutem Thucydides memorat. Illud
lib. 2. Hist. etiam

etiam memorabile est de hac Insulâ, quod eam Romanis restituendam esse T. Quintius hac elegantissimâ lib. 36. cap. 32. oratione, quam Livius refert, Achæis persuasit: *Si utilem, inquit, possessionem ejus Insula censerem Achæis esse, au-*
etor essem Senatui, Populoq. Romano, ut eam vos habere sine-
rent. Ceterum sicut testudinem, ubi collecta in suum tegi-
mene est, tutam ad omnes ictus video esse, ubi exerit partes
aliquas, quodcunq; nudavit, obnoxium atq; infirmum habe-
re: haud dissimiliter vos Achæi, clausos undiq; mari, quæ in-
tra Peloponnesi sint terminos, ea & jungere vobis, & juncta
tueri facile: simul aviditate plura amplectendi hinc exceda-
tis, nuda vobis omnia, quæ extra sint, & exposita ad omnes
ictus esse. Ex hac Insulâ, ut idem refert, Saguntini, quos lib. 21. cap. 7.
Hannibal devicit, oriundi fuere. Ferunt nunc frequen-
tes in eâ esse terræ motus.

IX. Augusti vidimus Strophadas insulas duas, & Strophades. Peloponnesum peninsulam, in quâ Methona & Corone Peloponnesus. nobilissimæ & clarissimæ urbes: quarum illam hæc Methona. Philippi Macedonum Regis fortuna celebrem reddi- Corone. dit, quod cum eam Rex obsideret, in prætereuntem, ut lib. 7. Hist. Iustinus narrat, de muris sagitta iacta dextrum oculum inf. Regis effudit, cuius facti auctor Aster quidam oppidanus laudatur. Patrum etiam seculo oppidum hoc fuit Pet. Bemb. in munitissimum, adeò ut cum illud Bajazetes Turca ob- Hist. Venet. sideret, Anno M. D. triginta hominum millia amiserit, antequam urbem ceperit: & refertur de Friderico laudatissimo Saxonie Electore, quod cum in Palæstina iter faceret, & Methonam transiret, vehementer etiam atq; etiam admiratus fuerit, urbem tam muniam à Turcâ capi potuisse.

X. Augusti Promontorium Acritas conspeximus, Theganusa. & insulam Theganusam, item Tænarum promontori- Tænarus.

Cythere,

um sive caput Peloponnesi, & Insulam Cytheren, in qua templum Veneris famosissimum fuit.

Creta.

Clauda.

Turris Ara-
bum.

hb. 2. annal.

Tacit. d. loc.
& Sueton. in
Tiberio cap.

52.

XI. Augusti Cretam sive Candiam. Ultra XX. millicaria adcessimus insulam Goho, ab antiquis Claudam dictam, de qua, ut & de Cretâ & Cythere, plura notavi in reditu, de quo infrâ. Inde quingentis milliaribus pervenitur Alexandriam usq;, quam viam recto cursu tenuimus².

XV. Augusti confecimus centum millaria vento ad modum secundo.

XVI. Aug. horâ quartâ ante Solis occasum à longè conspeximus littus Africæ & partem Ægypti, quo mirum in modum exhilarati fuimus, cùm jam approximaremus Turri Arabum nuncupatae, propè quam portus est: atq; sic bonis avibus in Ægyptum penetramus³.

ÆGYPTUS.

Est autem Ægyptus regio ab antiquissimis temporibus exulta, indeq; plurimis auctoribus celebrata, in primis verò Straboni, Flavio Iosepho, Plinio, & Ammiano Marcellino, quæ ab Alexandro Macedone olim in nomos sive oppidorum præfecturas divisa fuit, quarum Herodotus octodecim ponit, Strabo unam amplius, Ptolomæus XL VI, Plinius L. Quanti autem provinciam hanc illiusque metropolin Alexandriam olim fecerint sapientissimi mortalium Romani, vel ex illo Augusti edicto liquet, quo, ut est apud Tacitum, interalia dominationis arcana vetuit, ne eam Senatoribus aut Equitibus Romanis illustribus, nisi permisso, ingredi fas esset, quod cùm Germanicus neglexisset, tantoperè à Tiberio increpatus fuit. Rationem edicti reddit idem Tacitus, ne videlicet fame urgeret Italiam quif.

quisquis Ægyptum claustraq; terræ ac maris, quamvis
levi præsidio, aduersum ingentes exercitus insedisset.
Hodie Mahumetanis paret, genti non tam virtute suâ,
quàm ignaviâ & discordiâ nostrâ magnæ, & in tres di-
visa est provincias, quarum singulæ suos Regulos ha-
bent, quos illi S E k e vocant, qui omnes Bassæ Turcico
subjecti sunt, qui Cairi habitat.

ALEXANDRIA.

XVII. Augusti adcessimus Alexandriam, quam
urbem Alexander M. condidit & à se nominavit. Hæc
urbs, referente Am: Marcellino, vertex fuit omnium *lib. 22. in*
civitatum, quam multa nobilitârunt, & magnificentia *Iuliano,*
conditoris altissimi, & architecti solertia Dinocratis,
qui cùm ampla moenia fundaret & pulchra, penuriâ
calcis id momentum parum repertæ, omnes ambitus
liniales farinâ respersit, quod civitatem pôst alimento-
rum uberi copiâ circumfluere fortuito monstravit in-
dicio. De hoc urbis architecto Plinius quoq; refert, e- *lib. 5. cap. 18.*
um Alexandriam metatum esse pluribus modis, me-
morabili ingenio, quindecim mille passuum laxitate
infessâ, ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyra-
to laciniosam, dexterâ levâq; anguloſo procursu. Ju-
stinus eam urbem intra diem septimum decimum mu- *lib. 12. hist.*
ro VI. millium passuum consummato, absolutam fu-
isse scribit. De cœli circa hanc urbem clementiâ ite-
rum Marcellinus: *Aura ibi, inquit, salubriter spirantes,*
aer tranquillus & clemens, atq; ut periculum docuit per va-
rias collectum etates, nullo penè die incolentes hanc civita-
tem solem serenum non vident, quibus verbis pluviarum
raritatem in hac regione innuere voluit, de qua nos
infra.

In eâ hodiè hæc dignissima visu sunt. Primum Castellum majus, firmum satis & præsidio munitum, quod à Sultano Caizbeico extra urbem ad dextram portus novi, in rupe maris formâ quadrangulari exstructum est Anno 1479, quod altero latereterram istam leviter attingit, ubi priscis temporibus insula fuit, qui locus muro satis firmo turriq; munitus est. Hodie turris Phari appellatur, olim insula Pharos, quo nomine tamen etiam tunc temporis turris ista appellata fuit, teste Marcellino, qui eam à Cleopatrâ exstructam memorat, ut nocturno navium cursui ignes ostenderet, ad prænuncianda vada portusq; introitum, quem morem hodieq; singulis noctibus diligenter observant. Hos ignes ad

PHARUS.

*lib. 5. bell. Iud.
cap. 11.* trecenta usq; stadia flagrasse auctor est Flavius Josephus. E regione Phari portus vetus est, commodus etiam ac spatiösus, novo tamen formâ & amplitudine longè inferior, quem intus formâ rotundâ ædificia circumcirca exornant. Utrumq; portū brachium quodam maris separat. Ad mare ibi ædificatæ sunt tabernæ mercatorum, inter quas & castellum illud majus portus novi, aliud extat castellum, quod à nemine hodiè incolitur, & Turris de lancea appellatur.

**Turris de
lancea.**

Urbs ipsa ampla satis est, longior quam lata, loco plano & arenoso sita. Quà terram respicit dupli muro cincta est, versus mare verò simplici duntaxat, ubi tamen præter CCLX. tresses quadratas, magnas admodum & validas, fossâ ambitur vallatâ, non magnâ tamen neq; ubiq; vallo munitâ.

Portæ urbis tres sunt, nova, vetus, & illa qua Rosetum itur ad ostium Nili Canopicum. Urbs tota ferè Aquæductus suffossa est, quod etiam Cæsar de bello Alex. notat, & canales. aquæductibus plena, super quibus CCC. plus minus ma-

gnæ

gnæ sunt cisternæ publici usus, præter quas singulæ ferè domus suam quoq; & peculiarem habent, in quam ex aqueductibus undam hauriunt, præsertim verò ex fossâ istâ, quæ est propè portum veterem, in quam aqua è Nilo L X. circiter milliaribus per canalem CALES di-
ctum transfluit. Præter hunc alij quoq; sunt canales ab aqueductibus separati, per quos fôrdes urbis in mare effluunt. Ad hunc urbis situm sacræ literæ alludunt in vaticinio Nahumi, quando Alexandriam in flumi- cap. 3. v. 8.
nib⁹ habitare dicunt, aquasq; in circuitu ejus esse: item, mare esse ipsius divitias, aquasq; urbis muros. Hodie urbs ipsa devastata admodum est, maximamq; partem collapsa, in cuius medio tantum & propè portas plateæ quædam sunt, ipsæq; parum splendidæ. Olim tamen, ut appareat, plateas habuit rectas & æquales oppositas invicem, non latas quidem, tantæ verò longitudinis, ut ab uno extremo ad alterum visu pertingere non potuissent. Cisternæ, quas dixi, maximam partem è lapide coctili factæ sunt & fornicatæ, sexq; ut plurimum, columnis suffultæ. Amplissimas urbis domos mercatores Ædes Ale-
Christiani inhabitant. Peregrini divertere solent in xandrinæ, ædibus Legati Regis Galliarum, aut etiam Venetorum, in quibus pro quatuor baciis, ut nos vocamus, in diem lautè satis vivitur. Ædes intùs pulchræ satis sunt, & parte tantum inferiore ad habitandum factæ: in medio earum area est quadrangularis, & ab omni parte conclavia ad varios usus facta, aperta omnia, solo dormitorio excepto, quæ omnia ut plurimum marmore versicolari strata sunt. Fenestras habent raras, sed in superiori domus parte foramen magnum, quo singula conclavia lumen recipiunt. In illo ubi cibum capiunt, instar camini quiddam habent cum vaporario, quo aërem
excipi-

8

excipiunt & se refrigerant. Tecta non ex tegulis facta sunt, sed rudere aut pavimentis.

Templa Ale-
xandr.

Templum
D. Joh. Elee-
mosynarii, &
ejus monu-
ment.

lib. 34. cap. 7.

Athanasii &
Cyrilli se-
pulcr. A 23b

Palatium
Costæ.

Templa urbis multa sunt, marmore strata, & columnis ornata elegantibus, quæ tamen hodie omnia ferè in Moscheas Turcicas gens profanissima transmutavit. In primis verò illud excellit, quod D. Joannis Eleemosynarii vocatur, ubi sedes olim fuit Episcopalis, quod circum circa porticus ambiunt, inferius duplice, superius verò quadruplici columnarum ordine ædificatae. Ejus longitudo XCIII passuum est, latitudo verò LXXXVIII, pars media sine tecto est, paucasq; habet fenestras, quarum cancelli ex ære sunt admirandi illius & celebratissimi colossi solis Rhodi, quem Chares Lydius fecerat Lysippi discipulus, septuaginta cubitorum altitudinis, quod simulacrum, teste Plinio, post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum, jacens quoq; miraculo fuit. In hoc templo sepulti sunt D. Johannes Eleemosynarius, Div. Athanasius symboli illius auctor, *Quicunq; vult salvus esse &c.* & Div. Cyrillus. Non procul inde lapis est rotundus rubri coloris, super quo S. Marcum Evangelistam, eò martyrium. quod Evangelium de JESU CHRISTO docuerat, capite plexum referunt, VII. Calend. Maij, Anno VIII Neronis. Corpus ejus extra urbem humatum Venetos clam effodisse, & in urbem suam transtulisse, graviter incolæ conqueruntur. In eâdem plateâ ubi lapis iste D. Marci monstratur, ruinas vidimus palatii cuiusdam è lapide coctili facti, quod Regis Costæ fuisse credi vulgo volunt, patris S. Catharinæ, quam Virginem ibidem sub Maxentio Imp. fidem in Christum sanguine suo obsignasse referunt, circa annum CCC. X: verùm secus rem habere, norunt in Historiis versati.

In ur-

In urbe Christiani, quos Koffti sive Iacobitas vo- Christano-
cant, tria adhuc templa occupant, S. Sabæ non ma- rum templo.
gnum adeò, in cuius cathedrâ, quā hodieq; monstrant,
D. Marcum conciones habuisse dicunt, S. Marci, & S.
Michaëlis, in quo Johannes Comes à Solms sepultus est, Sepulchrum
qui obiit I. Novembr. Anno 1483: extra urbem verò Joan. Comi-
unum duntaxat S. Georgii, propè parvum castellum tis à Solms.
ad portum novum, quo loco olim Athanasium in ci-
sternâ ab insidiis & persecutionibus Imperatoris Va-
lentis servatum memorant. Cultum suum peragentes
ceremonias ferè observant Græcorum, nisi quod pe- Christano-
culiari linguâ utuntur, Græcis characteribus scriptâ, rum cultus.
quam illi Kofft vocant, cuius versio Arabica in libris
eorum è regione posita est. In hac urbe Bibliotheca illa Bibliotheca
fuit celebratissima Ptolomæi Philadelphi, septingenta Philadelphi.
voluminum millia continens, ut ex veterum monu-
mentorum fide testatur Am. Marcellinus. Ibidem lib. 22. in Iu-
L XX. illi vixere interpres, qui sacra Biblia in Græ- lian.
cam linguam transtulere.

Inter alia urbis ædificia nobiliora telonium quoq; Telsonium.
est juxta portam novi portus, quod formâ quadratâ ex-
structum est muroq; cinctum ubi mercatores vectigal
solvunt, quod Imperator Turcicus pro ingenti pecu-
niæ summâ Iudæis elocare solet. Haud longo indè in-
tervallo platea est angusta & tecta, quam BASSAROVOC-
cant, hoc est, forum, ubi omnis generis merces venum Forum,
expositæ sunt, in qua plateâ etiam omnes ferè merca-
tores habitant, vel in viciniâ.

Ad alteram urbis partem, quæ ad portum veterem
spectat, turris est, in qua excubias agunt, & non procul Turres Cæsa-
ab eâ aliae duæ magnæ admodum & firmæ, portui ve- ris.
teri defendendo è regione sibi invicem oppositæ. Hinc

ad lœvam alia stat turris valida admodum muroq; castelli instar cincta, & paulò superius iterum alia, quas Turres Cæsar is appellant, & Ianissariorum præsidio custodiunt. Olim loco isto Palatium Regum Ptolomæorum stetisse memorant, cuius tres adhuc videntur columnæ & theatrum. Ibidem hodie Moschea est & Xenodochium per pulchrum.

**Palatium
Regum Pto-
lomæorum.**

Salinæ.

Porrò salinas quoq; habent incolæ notatu dignas. Nam aquam è fossâ C A L E s dictâ in lacus spatirosos ducent, ibi q; per hyemem adservant, ubi æstivo tempore ardore solis exsiccata spumam solidatam retinet, quam illi postea benè induratam crassitie trium digitorum instar glaciei exscindunt, & asinis in urbem vehunt.

Palmae.

lib. 3. cap. 6.

Solum circa urbem plantarum nobilissimarum feracissimum est, quas inter palma frequens est, quæ arbor est procera, in caudicis cacumine folia fundens longissima, infra quæ flores profert numerosos, tenuibus quibusdam villis appensos, in magni racemi modum, undè dactyli prodeunt, qui circa autumnum mense Septembri maturescunt. De ejus naturâ admirandâ ita A. Gellius ex Aristotele & Plutarcho: *Si super palmæ, inquit, arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urges oneresq;, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, nec infra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur recurvaturq;. Ferunt etiam palmas maritari, & utrumq; sexum, qui facile discernuntur, amore delectari mutuo, de quo, ut & variis hujus arboris utilitatibus mira narrat Plinius, & ex eo Am. Marcellinus.* Præterea Cassia quoq;, quam solutivam dicunt, ibi provenit, ut & mala aurea, Persica, Punica sive Granata & Limonia magnâ copiâ. Item planta, quæ Viscum appellatur, undè referente

lib. 13. cap. 4.

lib. 24. in

Juliano.

Cassia.

Viscum.

Plinio

Plinio illud confit ejusdem nominis, quod juglandis o- *lib. 16 cap. 41.*
 leo subactum pennis avium tactu ligandis aptum est,
 cum libet insidias moliri. Deinde Carobe arbor sive Si- Siliqua.
 liqua, cuius fructus ejusdem nominis lignosus est & fal-
 catus, digitali longitudine, latitudine pollicari. Item
 Musa & Alcanna sive Ligustrum Ægyptiacum, è cuius Ligustrum
 foliis tritis rubricam exprimunt, quâ Turcæ equos suos Ægypti.
 tingunt.

Inter antiquitatis monumenta duo sunt obelisci Obelisci Ale-
 propter illam partem mœniorum, qua ad portum no- xandr.
 vum itur, quorum alter comminutus jacet, alter verò
 erectus & integer, (propè quem olim Palatium regium
 stetisse dicunt, cuius priscam magnificentiam hodier-
 na rudera testantur) dimidiā partem harenā & lapi-
 dibus obrutus, qua verò supra terram eminet crassi-
 tudine undecim spithamarum Hieroglyphicis sive li-
 teris Ægyptiacis incisus est. Horum descriptio omni-
 um optima apud Am. Marcellinum est : *Obeliscus, in lib. 17. in Con-*
quit ille, lapis est asperimus, in figuram metæ cujusdam, sen- stantio & Iu-
sim ad proceritatem consurgens excelsam, utq; radium imi- liano,
tetur gracilescens paulisper, specie quadrata in verticem pro-
ductus angustum, manu levigatus artificis. Formarum au-
tem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei un-
dig, videmus incisas, initialis sapientiae vetus insignivit au-
toritas. Volucrum enim ferarumq;, etiam alieni mundi,
genera multa sculpentes, ad ævi quoq; sequentis ætates Impe-
ratorum vulgatius perveniente memoriâ, promissa vel solu-
ta regum vota monstrabant. Non enim, ut nunc literarum
numerus præstitutus & facilis exprimit quicquid mens hu-
mana concipere potest, ita prisci quoq; scriptitarunt Ægyptij,
sed singulae literæ singulis nominibus serviebant, & verbis
nonnunquam significabant integros sensus. De origine eo-

rum si quæris, eundem Marcellinum audi : *Obeliscos, inquit, antiqui reges bello domitis gentibus, aut prosperatibus summarum rerum elati, montium venis vel apud extremos orbis incolas perscrutatis, excisos erectosq; Dijs super lib. 36. cap. 8. ris in religione dicârunt.* Plinius primum auctorem obeliscorum erigendorum Mitren Regem laudat, Alexandriæ verò Ptolomæum Philadelphum unum octoginta lib. 36. cap. 9. ta cubitorum statuisse scribit, quem Nectabis Rex purum exciderit, posteaq; sex alios tales ibidem excisos fuisse, & artificem donatū talentis quinquaginta : item alios duos fuisse Alexandriæ in portu ad Cæsaris templum, quos excidisse ait Mespheem Regem, quadrage-nūm binūm cubitorum.

His visis ad mare exspatiati sumus, duobus ferè ab urbe milliaribus, ubi rudera visuntur magni istius, uti perhibent, Palatii Ptolomæi Philadelphi, quæ mihi tamen ruinæ potius cujusdam castri Romanorum videbantur. Deinde versus portum veterem haud longo ab urbe intervallo columnam Pompeii vidimus, basi quadratae impositam, cuius latera singula X V I. pedes lata sunt, totidemq; ferè alta. Crassitudo ejus XV. palmarum est Romanarum, altitudo verò CXXXV, for lib. 36. cap. 23. mā Ionicā, quod genus, ut Plinius tradit, nonam partem altitudinis in crassitudine imā habet. In vertice verò capitulum habet quadrangulare, quod opus est egregium & pulchrum, è longinquo in oculos ad ventantium incurrens.

Incolæ Ale-xand.

Santoni.

Incolæ porrò Alexandriæ Æthiopes sunt sive Arabes, aliàs Saraceni dicti, item Christiani & Iudæi, qui omnes eodem ferè habitu incedunt, nisi quod formā & colore pileorum discernuntur.. Est & aliud ibi genus hominum, quos S A N T O N I vocant, qui nudi incedunt & pro

& pro sanctis coluntur, ut apud Pontificios Canonisati, quibus etiam post obitum templa dicare solent. Balneorum usus apud illos frequens admodum est, quo- rum plurima habent, pulchra juxta atq; commoda, quæ maximam partem è marmore exstructa sunt, in quibus lavantes unguento utuntur peculiari, ex auripigmento, calce vivâ, & aquâ mixto, ad absumentos corporis pilos'.

Sic igitur Alexandriam per tres septimanas pro li- Metus peri-
bitu perlustrantibus, omnia ex voto satis evenere, nisi culi ab apo-
quod in ipso principio statim adventus nostri infelix stata quodam
quidam apostata, qui ex Melitâ oriundus erat, ibidem proditore.
præfecti arcis S. Angeli, boni patris filius pessimus, ne-
fandâ proditione itineris progressum non sine gravi
periculo ferè retardasset. Cum enim paucis diebus
postquam Alexandriam appulimus, à Legato Regis
Galliarum, (quem ibi Consulem vocant) FRANCISCO
GUARDIOLA, cui nos ille, qui Venetiis degit, per li-
teras commendaverat, ad prandium invitati adesse-
mus, & proditor ille (qui non ita pridem ob sacrilegi-
um è patriâ Alexandriam profugiens, fideq; Christi-
anâ abnegatâ in Mahumetanorum castra transierat,
qui eum in ordinem Ianissariorum cooptatum Ali no-
mine donarunt) aliis Ianissariis gulæ servientibus, re-
rumq; novarum cupidis, sese miscuisse : adcidit, ut
inter varios sermones, qui tunc temporis de Melitâ à
Turcis obsidendâ agitantur, Legatus nebulonem i-
stum de situ, munimentis, & militiâ insulæ illius quæ-
rereret, cui mox ille : quin Tu potius istos, inquit, qui E-
quites sunt Melitenses interrogas; digitum in me &
Schulenburgium intendens, qui Te quod rogas doce-
re poslunt, hos enim novi, ibiq; militantes vidi : quo re-

sponso ipsius cum omnium oculi in nos conversi es-
sent, nimium quantum animo perculti fuimus, præser-
tim quia addiderat, se rem ad Bassam Cairi, quò brevi
abire constituerat, delaturum esse, quem gratum habe-
re probè noverat, si quis exploratores ejusmodi defer-
ret. Nos tamen fronte positâ tales nos esse pernegare,
falliq; Ianissarium audacter dicere, idq; eò animosius,
quod Legatum à nobis stare videbamus, qui non minus
quam nos ipsi, à malitiâ scelesti illius rebus nostris me-
tuebat. Quia verò propodium illud pertinaciter ad-
modum persistebat in sententiâ, tandem nolentes vo-
lentes bonis verbis eum viniq; dulcedine demulcere
coacti sumus. Sed neq; sic à perfidiâ hominis satis tuti,
Alexandriâ tandem abeuntes à Legato petiimus, ut li-
teris commendatitiis ad Sangiacum Cairi securitati no-
stræ prospiceret, id quod ille lubens bonoq; cum suc-
cessu præstítit. Atq; sic tandem à metu securiores VI.
Septembbris die Alexandriâ discessimus, primùm la-
cum C A L E S traijcentes, è quo posteà in Nilum delati
Fua oppidū. ad oppidum Fuam adcessimus, quod L X milliaribus
Alexandriâ abest.

VIII. Septemb. Nilo, cuius utrumq; latus longâ
pagorū serie prætexitur solo fertissimo, Cairum ver-
sus navigavimus, quam X. Septemb. manè attigimus.

C A I R U S.

Hanc urbem Iudei Mizraim, Græci Ægyptum, La-
tini Babylon, Turcæ Miszir vocant, Saraceni verò &
Arabes Cair, quod illorum linguâ urbem denotat. Pri-
us verò quam ad urbem veniremus, ad dextram Nili
tres Pyramides vidimus, duas maiores & tertiam mi-
norem. Deinde Bulacum venimus, quod Cairi subur-
biūm

Bulacum
suburbium,

bium est pulcherrimum juxta atq; amplissimum, ad lœvam Nili situm, in quo plurima fana sunt & palatia splendidissima, telonium item magnificè exstructum, plurimæq; tabernæ mercatoriæ, granaria insuper & armamentarium, in quo naves fabricantur, omnia pulchrè satis commodéq; ædificata. Hinc ad urbem ipsam tendentes, prius ad illum locum venimus, ubi C A L E S è Nilo proveniens in urbem se prorumpit, ad cuius dextram turris est valida, non alta admodum, in quam boum operâ aqua ducitur, quæ postea aquæductu in arcem transmittitur. Hinc eodem lacu, qui exiguae ibi latitudinis est, & ab utroq; latere Tamaricibus & hor-tis amœnis collucet, per septem pontes ingressi sumus ipsam urbem, & in ædibus interpretis Veneti ad lacum sitis divertimus, ubi singulis diebus pro cibo duntaxat, potu non connumerato, quinq; maydinos, ut vocant, Maydin. persolvimus, quorum XXXIV coronatum valent, XL ducatum aureum.

Vesperi literas commendatitias, quas à Legato Regis Galliarum Alexandriæ acceperamus, Mustafabi Sangiaco reddidimus, adjunctis pro more donariis, qui humaniter nos excipiebat, postero die ad se redire jubens. Nos post moram noctis ad constitutum revertentes, benevolè satis de novo iterum excipimus, ubi ipse Sangiacus de meliori notâ nos viro isti commendabat, qui Carauuanæ, ut vocant, in itinere ad montem Sinai Carauuana. præest. Sciendum enim est mercatores Cairo Mecham, ubi sepulchrum visitur Mahumetis, non nisi caturvatim abire, quod iter quadraginta dierum est, in quo propter frequentes solitudines & victus penuriam unumquemq; provisa sibi cibaria habere oportet, aliaq; ad vitæ usum necessaria, quibus rebus magno numero

mero Camelos onerant. Hunc numerosæ multitudo-
nis comitatum Carauuanam vocant, quæ tunc tempo-
ris XX. Camelorum millia ad summum continebat,
cum ante navigationem Indicam à Lusitanis frequen-
tari cœptam ad sexaginta interdum millia Camelorum
fese extenderit. Hujus, inquam, Carauuanæ præfecto
Sangiacus nos commendabat, amicos nos sibi esse di-
cens, proindè diligentem nostri curam haberet in iti-
nere ad montem Sinai, feliciterq; ad se Cairum redu-
ceret. Porrò adsidere nos jubebat, & de potu suo por-
Colloquium rigi, qui ex faccaro erat, dulcis admodum & palato ac-
cum Sangia- ceptus: deindè per interpretem multa ex nobis atten-
co Caii.
tè admodum quærebat, ut cur juvenili hac ætate tam
longinquum iter institueremus? cur nos Christiani lo-
ca ista terræ sanctæ perlustraremus, cum hoc potius Iu-
dæorum esset? An præcepta Decalogi magnifacere-
mus, hoc rectè ab omnibus fieri addens, neq; ullum,
qui secus faceret, verè hominem esse, aut hominis no-
mine dignum. Item an Mosen, reliquosq; veteris Te-
stamenti Prophetas verè tales crederemus, & an omni-
bus illorum dictis fidem adhiberemus? ex quâ quæsti-
one facilè nobis colligere erat, quâm malè Christiani
de fide suâ, sine dubio ex falsis Iudæorum delationibus,
apud Turcas audiant. Præterea an Deus nullo alio
modo à peccatis nos liberare potuerit, nisi interveni-
ente morte filii sui Iesu Christi? an crederemus Chri-
stum cruci affixum verèq; mortuum esse? quod cùm
affirmaremus, subridebat, ulterius quærens, an crede-
remus eum à Iudæis occisum esse? Item cur Iudæi eum
tam acerbo odio prosequuti fuerint? cuius nos hanc
causam afferebamus, quia hyprocrisin illorum & abu-
sus Religionis culpasserit, & se filium Dei, Regemq; Iu-
dæorum

dæorum esse dixisset: ad quæ ille, non negaverim, inquit, & has fuisse causas, præcipuam tamen putarim illam, quod cæco cuidam die Sabbati visum restituit. Deindè quærebat, cur Christus sacrificia reprehendebat, quæ tamen Deus ipse fieri jussert? & si approbasset, cur & nos illa ipso factō non probaremus? Ad quæ omnia quantum poteramus per interpretēti respondimus. Sed quia Magnates aliquot interveniebant, aliiq; qui literas adferebant, colloquio nostro interrumpo vale nobis dicebat, supra dicto itineris duci etiam atq; etiam iterum nos commendans. Nos verò hanc principis viri benevolentiam experti, urbem liberè perlustravimus, in qua ut & locis vicinis, ad quæ exspatiati sumus, plurima sanè sunt notatu dignissima.

Ac primum quidem urbs ipsa, ad pedes montis oblongi sita, stupenda magnitudinis est, & incredibili Magnitudo hominum multitudine abundat, adeò ut præ nimiā Cairi. populi frequentiā ab unâ plateâ ad alteram difficulter transire possis. Circuitum ejus XXXII. milliarium Italicorum esse ferunt: alii magnitudine suâ Lutetiam Parisiorum quinques superare affirmant. Suburbia habet plurima maximaq; quorum quædam tria, alia duodecim domorum millia continent. Urbem ipsam XXX. millia ædium habere tradunt. Mœnibus ferè tota cincta est, sed non admodum validis. Fontes habet nullos, sed Camelorum sedecim circiter millia, qui aquam è Nilo in urbem transportant, quæ dulcissima est & ad bibendum suavissima. Equorum numerum ad septuaginta millia referunt: molarum verò, quæ ab eis quis asfinisq; versantur, ad tria millia & XL: Plateas, quæ omnes claudi possunt, XIV. mille habet, totidemq; Moscheas. Antequam in Castellum venitur, octo & vi-

ginti portas transire oportet. In urbe & pagis vicinis (fides penes eum esto, qui mihi retulit) sexaginta circiter millia sunt Christianorum, Iudaeorum verò quadraginta millia, omnes ferè Lusitani ex Hispaniâ pulsi, quibus tamen liberè exspatiari, ut Christianis, permisum non est. Hinc videre est, quod Hebræi præcepta sua pro arbitrio negligant. Ita enim extat in præcepto illorum CCXXVII negativo, ne quis Hebræus post liberationem ex servitute Ægyptiacâ, amplius in Ægypto habitet.

**Hebræi ho-
die contra
præceptum
suum in Æ-
gypto habi-
ant.**

Memphis.

**Granaria Io-
sephi.**

Pluvia.

**Dent. 11. vers.
10. 11.** teræ memorant, ubi Deus per Mosen Israëlitis promittit, terram ab illis possidendam nequaquam esse ut terram Ægypti, quam jacto semine in morem hortorum

Urbs ipsa in duas partes divisa est, quarum unam Cairum veterem, alteram Cairum novam appellant. Vetus ad Nilum formâ oblongâ ædificata est, tota ferè à Cairo novâ separata, & hodie devastata admodum, medio urbis excepto, ubi egregia ædificia visuntur. Hæc Memphis illa fuit priscis seculis clarissima, cuius pauca vestigia apparent. Supersunt tamen hodieq; nonnulla; quæ inter tredecim illa sunt granaria, promptuaria Iosephi dicta, in quibus Iosephum Patriarcham tempore annonæ frumentum adservasse memorant. Hodie illud frumentum ibi colligitur, quod totius Ægypti incolæ Bassæ Caire tributi loco pendunt. In his granariis illud peculiare est, quod sine tectis sunt, quia nimirum in totâ Ægypto nullæ aut raræ admodum sunt pluviæ, unæ aut binæ ad summum in anno, mense Aprili aut Novembri, eæq; paucarum horarum: Cairum verò aliquot interdum annis nullæ madefaciunt, frequentiores Alexandriam, ipsæ tamen raræ quoq; & exiguae; quod regionis incommodum etiam sacræ li-

rum irrigare necesse sit, sed de cœlo pluvias expectare. Inter utramq; verò urbem, aqueductus est magnus & elegans, è lapidibus quadratis factus, per quem aqua in sublimi turri, boum ministerio, è Nilo in Castellum ducitur..

Porrò in Cairo veteri sive Memphi duo adhuc sunt templa Christianorum, S. Georgij, & beatæ Virginis Antiquitatis Mariæ, rudera item plurimorum splendidissimorum monumenta ædificiorum. Præterea duo adhuc ibi conspiciuntur Gigantes sive Colossi prostrati, ex marmore Porphyretico facti, qui olim magnis basibus inædificati fuere & Hieroglyphicis incisi. Eorum unus à capite ad extreum ventris XXII. pedes longus est, alter verò capite truncatus. Arabes credi volunt Pharaonis filij filiæq; imagines fuisse. Videntur & aliæ statuæ plurimæ, omnes è rubro marmore factæ, in primis verò stupenda magnitudinis Camelus, Leo item & Sphinx, aliaq; animalia plura, sed fracta omnia atq; diruta.

Altera verò urbs, quam Cairum novam appellant, Cairus nova, magnifice admodum splendideq; exædificata est, inter cujus ædificia illud in primis magnitudine superbit, in Taberna quo omnis generis merces, potissimum verò quæ ex mercatoria serico conficiuntur, venales prostant, cuius longitudo LXXX. passuum est, latitudo verò decem. Deinde aliæ quadringentæ sunt tabernæ, in quibus Turcæ, Æthiopes, Græci, Persæ, Indi, alijq; Europæ, Asiæ, Africæq; populi mercaturam exercent. Præterea diversa quoq; fora sunt & plateæ, in quibus omnis generis vestimenta, libri item Turcicâ & Arabicâ linguâ manuscripti venduntur. Præterea alia quoq; taberna mercatorum est permagna, in qua omnis generis aquas odoratas venales habent, in primis verò rosaceam illam nobilissi-

mam, quam Damasco adferunt. Est & lanea ibi, magna admodum & egregia. In magnâ, quam vocant, plateâ plurimæ sunt cauponæ, mensæ item argenti-
riorum, in quarum unâ monetam illam Reipubl. Noribergensis primùm vidi, quam nos patriâ linguâ Gul-
denroschen appellamus, paulò ante à Senatu Norico
cudi cæptam. Ibidem non procul à dictâ plateâ Æthi-
opes utriusq; sexus variâ ætate instar equorum vene-
unt. Opificum ædes ita distinctæ sunt, ut qui idem o-
pificium tractant, simul in unâ plateâ habitent.

Aëris consti-
tutio.

Aëris constitutio illic optima non est. Præterquam enim quod calores ibi sunt intolerabiles, duo insuper venti perniciosissimi certis temporibus exsurgunt,

Ostrabi ven-
tus.

quorum alter calidissimus est OSTRABI nomine, ex Lybiâ inferiore spirans, alter verò paulò frigidior GAR-

Garbini ven-
tus.

BINI dictus, qui mensibus Martio, Aprili, Majo, Junio, & Julio singulis annis morbum adducunt lethiferum,

Demmuige
morbige-
nus.

quem DEMMUIGE appellant, quasi dicas congelatio-
nem sanguinis, quo singulis diebus mille pluresq; ho-
mines pereunt. Hunc morbum altero anno post,

Pestis annua.

mense Januario & Februario, aliud malum sequitur priori longè gravius, pestis nimirum atrocissima, quæ plerunq; ad mensem usq; Julium durat, & singulis die-
bus quatuor pluraq; hominum millia occidit.

Habitus in-
colarū Caii.

Nos dies aliquot in hac urbe morati, commodam occasionem vicina quoq; loca adeundi naucti sumus. Quapropter ad morem incolarum vestiti, togâ nimi-
rum prolixâ ad talos usq; demissâ, quæ plerunq; pur-
purei sive violacei, interdum etiam rubri coloris est,
cum cingulo & acinace, capiteq; tiaram candidissimæ bombycinæ telæ spiris involutam gestantes, die X VI.
Septemb. Mataream profecti sumus, quæ quatuor mil-
liaribus

Matarea.

liaribus Cairo abest. Heic fontem nobis monstrârunt
 profundum, è quo bina juga boum aquam rotis hau-
 riunt, irrigandis hortis, quos ibi plurimos habent, quos
 inter ille excellit, qui Balsama profert. De hoc fonte
 referunt, precibus B. virginis Mariæ miraculosè exsi- Fons Mata-
reæ.
 lyssè, cum illa à furore Herodis cum infante suo & Jo-
 sepho in Ægyptum aufugisset, & arido loco siti-
 ens aquam à D E O expetijsset, id quod à multis seculis
 tam Saraceni & Iudæi, quām Christiani verum esse
 credidere, & hodieq; ipsi Turcæ constanter affirmant,
 qui locum ut sanctum colunt, eamq; ob causam igno-
 tos ab introitu illius arcent. Ipsi etiam creberrimè illi-
 us aquâ se lavant, & juxta eum ritu suo sacra faciunt.
 Ibidem propè portam horti balsamorum Sycomorus.
 est diffissa, de qua arbore hanc historiam narrant, (fi-
 des sit penes auctorem) cum Beata virgo Maria cum
 infante à militibus Iudaïs ad necem quereretur, arbo-
 rem mediâ sui parte veluti rictum distendisse, ma-
 tremq; cum infante conclusisse, usq; dum inquisitores
 præterierint, postea verò ita bifidam ad hodiernum
 usq; diem stetisse. Ad dextram hujus arboris foramen
 est, de quo dicunt (admissi risum tenete amici) si quis
 transire nequeat, eum legitimè natum non esse. Ve-
 rùm hortus, quem dixi, Balsamorum exigui admo- Hortus Bal-
samorum.
 dum splendoris est, raraq; in eo arbores, utpote cui co-
 lendo parum curæ imponunt. Afferebantur tunc tem-
 poris Balsama aliquot ex urbe Mechâ, quæ inferebant.
 Aliâs arbor ista, ut Justinus, a) Flavius Josephus, b) & a) lib. 36.
 Plinius c) tradunt, Iudææ tantū propria fuit, postea ve- b) lib. 15. c. 5.
 rò in Ægyptum quoq; transiit; quod nonnulli tunc antiq. c) lib.
12. c. 25.
 temporis factum fuisse putant, quando Herodes Cleo-
 patræ cum redditibus agri Hierichunti balsama quoq;

C 3 locavit,

locavit, & sic muneribus placatam in Ægyptum deduxit. De peculiari hujus arboris naturâ C. Tacitus:

libr. 5. Hist. Balsamum, inquit, modica arbor, ut quisq; ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent vena, fragmine lapidis aut testâ aperiuntur: quod idem quoq; memorat Josephus; à quâ nobilissimæ plantæ naturâ præclarum illud saniorum Theologorum simile ortum est, quod prudenterissimus ille Philippus Melanchton alicubi refert: Ut ferro non licet attingere fruticem Balsami: Sic Ecclesia non vult regi violenter & tyrannicè, sed doceri & molli manu tractari.

Heliopolis. His visis Matareâ Heliopolin discessimus, non procul indè dissitam. Conspicitur ibi obeliscus egregius, cui multa Hieroglyphica inscripta sunt, quem Solis obeliscum appellant, unde nomen etiam urbi datum referunt. Urbem olim fuisse magnam & egregiam ruderant. Ex eâ oriunda fuit Asenetha filia Potipharis sacerdotis, quem Pharaon Rex Ægypti Josepho Patriarchæ in matrimonium dedit.

Palatum Sultani. Hinc Cairum redeentes, in viâ splendidum illud vidimus palatum, quod Sultanus voluptati & oblectationi dicavit: deinde fanum perelegans, & hippodromum, cum alio quodam palatio. Hinc armamentarium lustravimus, in quo naves actuariæ fabricantur, quibus mari rubro in Indiam navigant. Illâc transiuntibus columna occurrit, opere Hieroglyphico per pulchra, VII. passus longa. In urbem verò reversi castellum ingressi sumus, quod amplissimum est, in quo præter fanum magnificè exstructum, aliaq; Magnatum ædificia splendidissima, aliae quoq; sunt ædes plurimæ, ita ut oppidi formam referant. Hinc addiversorum nostrum pergentes, in plateâ quâdam pistorem,

Hippodromus.

Atmamentarium.

Columna. Castellum urbis Cairi.

Supplicium pistoris.

rem, qui panem minoris ponderis vendiderat, flagellis
cædi vidimus, qui nudus incedebat, pube tantum tectâ.
Capite pileum papyraceum formâ pyramidali gesta-
bat, collo verò quasi in nummellis exhibitus lignum
aptatum, à cuius extremo duo pendebant tintinnabu-
la, quorum sonitu civium accursum ad propriam i-
gnominiam excitabat.

XIX. Septembr. Germanum quendam PAULUM Humanitas
REUTERUM à Feldkirchen ad coenam invitavimus, Pauli Reute-
qui à Turcis captus diu in servitute vixerat: tandem tñ Germani.
verò propter operas fideliter præstitas cum Turcarum
religionem, quamquam invitus, professus esset, à Do-
mino suo circumcisus & testamento manumissus est,
omniumq; postea bonorum liberorumq; quasi cura-
tor constitutus, qui multa humanitatis officia nobis
præsttit.

N I L U S.

Inter alia verò quibus peregrini in his locis delecta-
ri solent, Nili quoq; navigatio est, quo diversis vicibus
ad varia loca deportati sumus. Hic fluvius antequam
accrescit ejusdem ferè magnitudinis est, cuius Rhenus
aut Danubius supra Viennam Austriæ. De ejus origi-
ne, naturâ, incremento, & utilitate Herodotus, Aristoteles,
Heliodorus, Pomp. Mela, Strabo, Solinus, Diony-
sius, Plinius, Seneca, Am. Marcellinus, aliiq; prolixè
tractant, non idem per omnia sentientes. Præter alios
verò rem totam diligentissimè tractavit Petrus Quin-
queranus in descriptione Provinciæ Galliarum, qui
sententiam illam Marcellini, originem Nili posteras lib. 22. in In-
quoq; nationes ignoraturas, falsitatis convincere non lano.
indoctis rationibus studet. Verum judicium de hac
lite.

lite ferre, & discrepantes auctorum sententias conciliare mihi non sumo. Incolæ referunt originem ejus esse in montibus superioris Æthiopiae sive Abyssinorum, quæ regio communi errore terra Johannis presbyteri appellatur. Ut enim montes istos nives imbré satient, ita aquas postea inde profluentes montibusq; inclusas, longo cursu varias regiones & squallentia arenis loca percurrere, multasq; efficere insulas, donec tandem conjunctæ Nilum in Ægypto exundare faciant. Initium ejus incrementi est V I. Junij, quo tempore singulis ferè noctibus rorem decidere affirmant, eumq; Nili incrementum adeò augere, ut postea toti Ægypto fæcundus innatet. Quia tamen terræ altitudinem non ubiq; superare potest, humanâ industriâ canales sive aquæductus facti sunt, quibus in altiora Ægypti arva deducitur.. Aquæductuum verò nullum prius perfodere fas est, nisi Bassa prius inspecto Nili augmento canalem Cairi , ut omnium potissimum, ipse manu suâ aperuerit, quod magnâ solemnitate & pompâ singulari perficitur.. Major autem incolis est lætitia, quò minus terrarum suarum vident: quanquam etiam ob nimium augmentum æquè contristantur. Justum ejus incrementum, si Plinio fides, XVI. cubitorum est: in XII. cubitis gens famem sentit, in XIII. etiamnum esurit, XIV. cùbiti hilaritatem afferunt, XV. securitatem, XVI. verò delicias. Maximum incrementum fuit cubitorum XVIII, Claudio principe: minimum quinq; , Pharsalico bello. Anno 1565, quo nos aderamus, non admodum accreverat, ex quo incolæ annonæ caritatem metuebant, quæ etiam anno sequenti Ægyptum non leviter afflxit. Quicquid autem de origine ejus sit & incrementi causâ, illud certum

Niloscopi-
um.

lib. 5. cap. 9.

tum

tum est, quod nullus fluvius cum Nilo conferendus sit, qui vel talem limum proferat, vel terram ita fœcundam reddat; quod inde potissimum videri potest, quod, *lib. 4. quest.*
ut Seneca loquitur, cùm cæteri amnes abluant terras & nat. cap. 2.
eviscerent, Nilus tanto cæteris major, adeò nihil exedit nec
abradit, ut contrà adiçiat vires, minimumq; in eo sit, quod
solum temperet. Illato enim limo arenas saturat ac jungit,
debetq; illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed
ipsas. Atq; hæc causa est, quod nemo ibi aratorum cœ-
lum aspicit, neq; herba, ut Poëta jocatur, pluvio sup-
plicat Jovi, sed fluminis expectat operas, qui, ut est a-
*pus Plinium, vice fungitur coloni. Labores vero anni *lib. 18. cap. 18.**
ita dividit Nilus, ut quatuor mensibus accrescat, qua-
tuor decrescat, & totidem cursum teneat æqualem.

Hoc igitur fluvio XX. Sepembr. ad locum illum de-
lati sumus, ubi sepulcra sunt Turcarum, itinere virgin- *Sepulcra.*
ti & amplius milliarium, quæ tantum ambitu suo con-
tinent, quantum urbs Alexandria, quem locum, ut &
cadavera ipsa incolæ Mumias vocant. Sunt autem se-
pulcra singula lapidibus exstructa, instar putei cum fo-
ramine quadrato, profunditate hastæ longitudinem
exæquante, in quæ non difficilis est descensus. In imo
aliud foramen est minus, per quod difficulter transiri
potest, ubi angusta est caverna cadaveribus plena, quæ
tamen omnia eleganti ordine disposita sunt. Juxta
hanc aliæ sunt continuæ eadem formâ, ita ut ab una ad
alteram transiri possit, tanquam in labyrintho quo-
dam. Viam nobis monstrabant Arabes quidam præ-
latis funeralibus, qui cadavera nonnulla subtili carbafo,
modo ferè quo apud nos infantes, involuta explicab-
bant, & quomodo intestina reliquaq; viscera, hepate
tantum cordeq; relictis, exempta corpora vero balsamo

D aliisq;

aliisq; aromatibus conspersa putredinem omnem eluderent, haud indiligerenter monstrabant. Ipsa cadavera vetustissima erant, & sive aromatum copiâ, sive vetustate nigra admodum, ex urbe Memphi huc delata.

Pyramides.

Genes. 39.

Tacit. 2. an-
nal.

Hinc ad Pyramides abivimus, quæ è regione Cairi in campo latissimo & arenoso positæ sunt, ubi collis monstratur, super quem domum Potipharis, qui Josephum patriarcham servum habuit, exstructam fuisse dicunt. Videntur adhuc nonnulla ejus rudera è lapide coctili. Pyramides verò certamine olim & opibus regum instar montium eductæ, hodiè in maiores & minores distinctæ sunt, quarum illæ adhuc integræ sunt, hæ verò collapsæ omnes. Omnium maxima ingentis admodum altitudinis est, non minus artificiose quam splendidè exstructa. È parte, quâ videtur, harenæ imposita est, ita tamen ut fundamentum rupi innatur. Extrinsicus è marmore albo impolito facta est, ab imo ad summitetum usq; CC XII. circiter gradibus prominentibus assurgens, qui singuli è lapidibus quadratis facti sunt, longitudine septem pedum, altitudine dispari atq; variâ, plerunq; tamen pectus viri attingente. Inferior illius pars ad medium usq; harenâ & lapidibus obruta est. Singula latera passus habent CCCXXIV: Epistylium LII pedes plus minus crassum est, quod ob nimiam altitudinem acuminatum admodum videtur, cùm tamen planities sit L. hominum capax, in qua robustissimus aliquis sagittarius consistens, nunquam telum extra basim Pyramidis emittet. In describendâ vastitate hujus molis auctores non consentiunt. Sunt nonnulli qui altitudinem ejus DC. ulnarum esse dicunt, crassitudinem verò M MCCCC, singulas verò ulnas trium spithamarum. Alii verò eam mil-

am mille palmas Romanas altam esse scribunt, singu-
las verò palmas unius spithamæ & digitæ longitudinis.
Versus Aquiloriem egregium habet introitum, ex
marmore albo polito factum, cuius ostium staturam
viri exæquat: estq; hæc sola inter omnes Pyramides
quæ clausa non est. Introitus longitudo C L X. passu-
um est, latitudine inæquali, ita ut in vestibulo patescens
progrediendo coarctetur.. In fine introitus ad sini-
stram aliis est transitus præruptus, altus admodum,
sed latitudinis exiguae, rubro marmore stratus, & ver-
sicolori tabulatus. In ejus medio descensus est in aliud
conclave per angustum, per quod rectâ transitur in ca-
meram quandam X XVII cubitos longam, & XII la-
tam, quæ decem lapidibus sibi invicem oppositis tecta
est, & in medio instar collis elata. Ex hac retrogredi
oportet per conclave illud angustum in aliam came-
ram, cuius longitudo X L pedum est, latitudo verò vi-
ginti, in cuius introitu submissio admodum, è marmo-
re monumentum est eximum, cuius altitudo pectus
viri attingit, longitudine novem pedum, latitudine
quinquaginta. Sub inferiori camerâ, ubi transitus est, plures
sunt cavernæ subterraneæ, in quas summa difficultate
accensâ face ad ultimam usq;, quæ collapsa est, descente-
dimus. Ex hac olim in Pyramidem proximè adstan-
tem transitum fuisse memorant.

Propè hanc Pyramidem è regione Cairi Sphinx *Sphinx*,
est rupi incisa, excelsæ admodum magnitudinis, cuius
caput pectusq; cum dorso adhuc videntur, reliquum
corporis ventorum vis harenâ operuit. Capitis ambi-
tus sive crassities L IIII. passuum est, longitudine planè
eadem. Propter umbilicum foramen habet quadra-
num, ubi olim sacerdotes Ethnicorum occultati quæ-

rentibus responſa reddidere, quod Ægyptii pro oraculo habuerunt.

His viſis Cairum reverſi ſumus, ubi multos pontes chommataq; ſive aggeres transivimus, qui aquæ Niloticæ continendæ exſtructi ſunt, de quibus notabile eſt, quod Romanī olim, ut eſt apud Uſpianum, in Chommatum iſtorum violatores extra ordinem animadverterunt : Theodosius verò & Honorius Imperatores conſtitutione peculiari, *de Nili ægeribus non rumpendis*, poenam extraordinairem ad ignem extenderunt. Eodem reditu prope pagum quendam collem vidi- mus, de quo affirmant incolæ, ſingulis diebus Parasce- ves mortuos ibi ſepultos manus pedesq; ē monumen- tis porrigere, id quod verum eſſe & oculis ſuis uſurpa- tum, nonnulli ex comitibus noſtris conſirmabant.

Judicia.

Ad judicia porrò, (ut nunc de ritibus incolarum aliquid addam) rectè atq; ordine exercenda, cuiuslibet ſeptimanæ primos quatuor dies, Solis nimirum, Lunæ, Martis, & Mercurii conſtitutos habent, quibus cauſas ſuas agunt coram Baſſā in palatio castelli, quod DIBAU vocant, ubi etiam Legati exterorum audiun- tur. Dum nos in hac urbe moram neceſtimus, accidit ut Legatus Venetorum ANDREAS EMON negotium quoddam coram Baſſā expediendum haberet, quem nos ſequentes aulam iſtam forenſem ingressi ſumus, & ſic morem ritusq; illos judiciales oculis uſurpavimus. Primū cum ad majorem Palatii portam veniſſemus, Legatus ianitores nummis aliquot donabat, quo facto portam illi recludebant. Legatum præibat interpres, quem nos in ſuperiorem uſq; Palatii cameram ordine ſequebamur, ubi Baſſā provectæ àtatis vir, magnâ Turcicorum nobilium frequentiâ stipatus ſedebat. Propè eum

Dibau, ca- ſtellum.

Sequuntur Legatum Ve- netorum ad Baſſam.

oūm Thesaurarius stabat ab uno latere, ab altero verò Religionis, matrimonialium, aliarumq; civilium cau- sarum præfectus, remotius paulò alii Turcæ plurimi ab utroq; latere, quorum maxima pars scribæ erant. His Bassa utrāq; parte auditâ causam vel prosequen- dam, vel statim etiam exsequendam commendat, ne- moq; subditorum est etiam infimorum, qui non ipse causam coram ipso Bassâ, qui ad quintam usq; horam judiciis præsidet, prædictis diebus proferre non possit. Legatus noster ad Bassam accedens statim parvo sca- bello quadrato insidere jubebatur, cui interpres à la- tere, nos verò à tergo stetimus. Causa autem quam Le- gatus per interpretem agebat, erat ista: Quia tunc tem- poris vinum Turcis & Æthiopibus gravi pœnâ inter- dictum erat, nonnulli illorum mandatum hoc ad Chri- stianos & mercatores peregrinos extenderunt, vina il- la, quæ Alexandriâ Cairum afferebantur, mandati isti- us prætextu, hostili manu in viâ intercipiebant, quod ut puniretur, & in posterum mercatoribus peregrinis liberum vini commercium esset, Legatus petebat: cui Bassa statim annuebat, de securitate viarum prospectu- rum se recipiens; & sic benevolè nos dimittebat.

In hoc palatio, antequam egredieremur, inter alias ædes aulam nobis monstrabant instar porticus altis Aula Jose- crassisq; columnis suffultam, in qua Iosephum patri- phi. archam pro tribunali sedisse, & Ægyptiis jus reddidisse referunt. Ibidem & equile vidimus elegantiori longè Equile. formâ, quam vulgò apud nos sunt, ædificatum, sicuti etiam Turcæ majorem multò diligentioremq; equo- rum curam habent. Ad minimum enim binis equis singulos servos addunt, sæpè singulis singulos, qui e- quos rotundo strigili è tenui frutice factò quàm delica-

cissimè abstergunt, horisq; statutis diligentia admodum curâ pabulum præbent, quod vesperi hordeum est, manè palea aut fœnum. Vasa etiam habent peculiaria, quæ ut equile mundum servent, urinæ equorum excipiendæ subponunt. Singuli equi singulis columnis lapideis eleganti ordine dispositis alligati sunt, quorum anteriori pedi dextro, & posteriori sinistro compedes aptantur. Straminis ibi nullus usus est, sed fimum aridum noctu substernunt, ad quem usum equorum excrementa colligunt, & Solis ardore exsiccata comminuunt atq; in pulverem redigunt. Frena, loricæ, balthea & ephippia omnia fibulis argenteis inauratis fulgent. Stapedibus utuntur magnis & ponderosis plenisq; argenteis, nonnullis etiam inauratis, parteq; inferiori acutis, quibus calcarium loco equos incitant.

Ovorum
furni.

Bassæ transi-
tus per ur-
bem.

Præterea inter alia illud quoq; inusitatum nobis est, quod non, uti nos solemus, ova gallinis incubanda subiiciunt, sed per certos homines mensibus Martio, Aprili, & Mayo multo stercore fimoq; congesto ingentem velutifurnum construunt, in quem tot ova conferunt, ut singulis vicibus, quæ semper unius & viginti dierum spatio finiuntur, ad quadraginta millia pullorum solis & stercoris putrescentis vapore animent atq; edant. Tales furnos quinq; aut sex Cairus habet, aliæ verò urbes pagiç; multo plures.

Porrò pompa illa quoq; visu dignissima est, qua Bassæ singulis diebus Mercurii manè magno splendidoq; cum comitatu, equestri partim, partim pedestri, ad CCC. usq; homines, præstanti admodum equo insidens, præcipuas Caii plateas transit, medius inter omnes veste candidâ fericâ indutus, cui duo Ianissarii binas perticas pretiosissimis cristis ornatas præferunt, quorum

quorum vestitus ad talos usq; demissus est. Hos alii sequuntur Ianissarii octo & viginti, qui rubris vestibus amicti sunt, arcuq; armati & acinace cincti, à quorum omnium fronte conus surgit deauratus, gemmisq; distinctus folium lilii repræsentans, pretio viginti duatorum, qui omnes Bassæ sunt mancipia. Inter reliquam satellitum turbam tres se invicem sequuntur viri authoritate graves & bellicâ fortitudine clari, quorum equi cymbalis ornati sunt, & anteriore corporis parte pellibus Leopardorum tecti, quibus etiam ipsi equestres vestes suas, quæ Slavonicâ formâ sunt, operiunt. Hanc tamen hujus Bassæ pompam nequaquam antecessorum ipsius magnificentiae parem esse dicunt, quos singulis septimanis octingentarum personarum comitatu splendidissimo urbem transiisse memorant.

Vidimus etiam pompam circumcisionis, quæ plurimum à Iudæorum ceremoniis differt. Nullum enim certum observant tempus Turcæ, sed pro libitu, quinto, decimo &c. ætatis anno filios suos circumcidunt. Inter tres illos, quos nos unâ circumcidi vidimus, major natu duodecim annos natus erat, qui magnatum erant filii, & ad templum ducebantur μετὰ πλλῆς Φατισίας. Nam primo loco tres ducebantur boves admodum pingues, tantæq; magnitudinis, quantæ vix unquam vidi, quorum ultimus frondibus & arbusculis totus tectus erat. Hos sequebantur cantores, tibicines, aliiq; Musici complures, qui apud Turcas sacerdotum munere funguntur, à quorum tergo tres ducebantur equi egregiè ornati. Hos ipsi pueri circumcidendi sequebantur ordine ætatis, ita ut minor natu duos proiectiores antecederet, aliis equis pari splendore insidentes, magnaq; populi catervâ stipati. Ab utroq; latere

tere plurimi alii Turcæ adcurrebant, qui in perticâ omnis generis floribus ornatâ cristas quadratas gestabant, è ligno affabré factas. Pòst aliquot sequebantur mancipia in equis itidem, cum pileis rubris acuminatis, quos candida fascia ornabat ad tergi usq; extremitatem demissâ, qui unâ cum pueris istis circumcidabantur. Tandem pompam claudebant musici, tubicines, & tympanistæ. Ex ædibus platearum, per quas transibaat, lampades pendebant in honorem circumcidendorum accensæ. Domum verò è templo reversi, splendido excipiebantur convivio, ubi pauperibus bos integer assatus liberaliter admodum distribuebatur.

Jejunia.

Ferias quoq; esuriales sive jejunia notabili more celebrant, spatio triginta dierum, mense Martio, quo tempore noctu candelas è turrium pinnaculis pendentes habent, quo jndicio notum fit, cibi sumenditempus advenisse. Per totum enim diem ne minimum quidem gustare illis fas est, quam ob causam etiam omnes cauponas ad vesperum usq; clausas esse oportet, donec è templis redeant, in quibus toto jejunii tempore sacra sua frequentissimè peragunt: postea verò totam noctem lautissimè vivendo insumunt. Manè etiam antequam Solis radii stellarum lumen obscurent, vesici liberum ipsis est, ubi plerunq; tales cibos assument, qui toto die sitim nullam excitent.

Mulierum mores.

Ad sacra illorum hic quoq; mos pertinet, quo mulieres die Veneris, qui eis, ut apud nos dies Solis, festus est, ante Solis ortum ad sepulchra defunctorum, quæ extra urbem sunt, abeunt, ubi mortem amicorum lugent, monumentaq; floribus & aquâ conspergunt. Verum illæ hoc prætextu religionis plerunq; nefarios sibi amores conciliant, eoq; occultius libidines

nes suas exercent. Aliâs si ab unâ saltem domo ad alteram transire velint, ut viri asinis insident, quos mancipia illarum freno ducunt, omnesq; faciem habent velatam, ut cognosci non possint. Cùm sanguine suo per menses exsolvuntur, prius illis cum maritis concubere nefas est, quam balneum ingressæ & ab omnibus immundicie bene lotæ sint. Atq; hæc sunt quæ de Cairo locisq; vicinis notatu digna existimavi.

Hinc abitum parantes XXIX. Octobr: Carauua- Iter Cairo ad nœ nos junximus, quæ tria millia camelorum ducebat, montem Siquâ de suprà, cùm prius literas commendatitias ad frā-nai. tres montis Sînai à Patriarchâ Græcorum, qui Cairi Patriarcha habitat, petiissimus. Narrant de hoc Patriarchâ, eum Græcorum ante annos XXXV. cum Iudæo quodam coram Bassâ de veritate religionis Christianæ haustu veneni concertasse, illudq; citra læsionem bibisse; Iudæum verò, potu illo assumto, exemplò vitam cum morte commutasse. Is vir erat parvæ staturæ, facultatum plurimarum, tunc temporis annum agens tertium & centesimum. Ab hoc igitur literis, quas dixi, commendatitias impetratis, quatriduum adhuc, usq; dum omnes Carauuanæ comites convenirent, expectavimus. Erant autem unâ mecum peregrini alii tredecim, nimirum ALEXANDER SCHULENBURGIUS, JOHANNES & JACOBUS BAIERI à Kauffbeuern/ GEORGIIUS Bœck Noribergensis, JOHANNES HELFFRICH Lipsiensis, duo interpres, Belgæ quidam ZACHARIAS VAN Schödden/ cum Ianissario cui nomen erat JOSEPHO, NICOLAUS VINTIMIGLIA Italus Genuensis, cum interprete Græco ELIA, & tandem STEPHANUS BONNET Gallus, cum famulo Belgâ, cui nomen erat CAROLO. His præ ceteris itineris comitibus familia-

Comites
itineris ad
montem Sî-
nai.

a) *Hujus vi-
tam & Itine-
rariū Iohan.*

*Fraxineus
carmine de-
scriptus, in quo pecul.
aliquoties Dn.
Füreri, ut a-
mici & comi-
tis omnium si-
delissimi, men-*

*tio fit honori-
ficientissima.
Sues oppid.*

*Fossa maris
rubri ad Ni-
lum.* lib. 6. cap. 29.

*Fontes a-
mari.*

Sur, Edom.

riter usus sum, in primis verò ALEXANDRO SCHULENBURGIO, a) qui semper alter mihi Pylades fuit, quem inter & me verè, secundum præclarum illud Gordiani Imperatoris rescriptum, l. 4. C. de castrens. munerum consortium, affectioni fraternali non parum addidit, nosq; vice mutuâ chariores invicem reddidit. Itaq; III. Novembr. Cairo discessimus, eoq; die XX. millaria Italica confecimus².

V. Novembribus ad littus maris rubri accessimus, à quo duobus milliaribus locus ille abest, ubi priscis temporibus oppidum Sues floruit.

V.I. Novembribus ad dextram maris rubri fossam illam vidimus, quæ Nilum inter & mare rubrum interjacet, quam, ut est apud Plinium, Darius Rex Persarum, deinde Ptolomæus sequens duxere, latitudine pedum centum, altitudine triginta, in longitudinem XXXVII mill. D. pass. usq; ad fontes amaros: ultra verò deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis rubro mari comperto, quam terrâ Ægypti esset. Regio hæc tota deserta est & inculta, quam Sur sive Edom appellant, in quam propter defectum lignorum exrementis camelorum ad coquendum cibos utuntur.

MARE RUBRUM SIVE ERYTHRÆUM.

Mare rubrum verò rubri coloris non est, sed ejusdem planè cuius cætera quoq; sunt maria. Terra verò adjacens rubra est & montosa, undè sine dubio nomen hoc accepit; vel, ut alii putant, quod Sol in rubros montes radios emittens, ipsum quoq; mare vicinum a) lib. 6. c. 23. inficere videtur, teste Plinio. a) Q. Curtius quoq; duabus

bus locis b) testatur, mari rubro non à colore undarum, sed ab Erythro rege nomen inditum, & ab ignaris mare rubrum dictum fuisse, cùm re verâ à cæteris colore non abhorreat. Heic primum illum locum vidi mus, ubi singulari Omnipotentis miraculo aquæ ad Exod. 14. instar murorum ab utroq; latere stetere, donec Israelite sicco pede transierunt. Deinde alterum illum Mara. dictum, ubi Moses aquas amaras ligno injecto dulces effecit, quæ hodieq; dulces sunt, nisi qnod ex vi- Exod. 15. & cino mari parum falsedinis attrahunt. Hoc miracu- Num. 33. lum nobis quoq; profuit. Cum enim Camelii nostri ad Camelorum diem sitim tolerassent, tandem hoc loco natura. aquam istam dulcem biberunt; quam animalis tolerantiam eò magis admirati sumus, quò graviori pondere onerari solent. Sunt enim nonnulli, qui sexcentas libras gestant: pleriq; quadringentas ad minimum, sæpè etiam quingentas ferunt. De illorum siti Plinius: lib. 8. cap. 18. Camelii, inquit, sitim quadrupes tolerant, impleturq; cum bibendi occasio est, & in præteritum, & in futurum, obturbatâ proculcatione prius aquâ, aliter potu non gaudent. Hoc loco infortunium ipse mihi accersivi. Cum enim Infortunium in mari rubro cum sociis lavarem, corallo acuto, quo Furci. rum tam alborum quam rubrorum maxima ibi copia est, dextrum pedem graviter sauciavi.

VII. Novembr. post mediam noctem eclipsis Lunæ erat, ubi exemplum vidi mus moris illius antiqui & næ. vanissimi, quo promiscuum vulgus, ut est apud Juvenalem, laboranti Lunæ dissono æris crepitum succurrere solet. Idem enim comites nostri Æthiopes faciebant, æris sono ad finem usq; defectionis strepentes. Simile exemplum refert C. Tacitus in gravissimâ illâ militum seditione, quam Drusus à Tiberio missus, illud quod lib. 1. annal.

casus obtulerat in sapientiam vertens, sed avic. Apud Christianos quoq; sui temporis hanc superstitionem adhuc durasse, conqueritur Divus Maximus Taurinensis Episcopus, qui in homiliâ de defectu Lunæ inter alia: *Cum requirerem, inquit, quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi quod laboranti Luna vestra vociferatio subveniret, & defectum ejus suis clamoribus adjuvaret.*

VIII. Novembr. XL milliaria Italica confecimus. Postero die, relicto mari rubro, versus montes ad sinistram declinavimus.

X. Novembr. Carauanae valediximus, quæ ad dextram versus Thoram pergebat. Nos verò ad sinistram, ut dixi, deflecentes in valle quâdam amplissimâ arborem illam vidimus, quam vulgò SPINA M C H R I S T I vocant, aliâs Acaciam sive gummì Arabicum, ex quo ligno coronam spineam Servatoris nostri factam fuisse vulgò referunt.

XI. Novembr. cacumina montis Sinai conspeximus, quo mirum in modum exhilarati fuimus, montis altitudinem admirantes.

XII. Novembr. viperam sive aspidem invenimus, ventre candidam & squamosam, dorso candidam etiam, sed maculis viridibus distinctam, cui in capite gemina cornicula eminebant.

XIII. Novembr. venimus ad cænobium S. Catharinæ, quod in valle per angustâ ad pedes montis Sinai lapidibus quadratis exstructum est, fundatore, uti perhibent, Iustiniano Imperatore, firmum satis altumq;, & hortis per amoenis cinctum. Longitudo ejus centum viginti quinq; passuum est. In hoc primùm vidimus sepulcrum S. Catharinæ: deinde sacellum loco isti in ædificatum, ubi, si vera, quæ cænobe jactant, rubus fuis,

*Quem alle-
gat Lipsius in
not. add. lor-
cum Taciti:*

*Spina Chri-
sti.*

Vipera.

*Cænobium
S. Cathari-
næ.*

*Rubus Mo-
fis, aliaq;.*

MONS SINAI. et



Quem
gat Li
not, aa
cum T

Spin:
fti.

Vip

Cx
S.C
næ.

Ri
fis.

MONS SINAI. et MONS S. CATHARINÆ fol 37 et seqq.



fuit, in quo D E U S M o s i se p r i m u m manifestavit. T e m -
p l a h a b e t q u i n d e c i m , f a c e l l a X X V , p l u r i m a s q ; æ d i c u - *E x o d . 3.*
l a s , i n q u i b u s m o n a c h i G r æ c i h a b i a n t , C A L O G E R I C a l o g e r i
d i c t i . I n v a l l e p r o p i n q u à c o l l i s e s t m i r i a s p e c t u s , q u a s i m o n a c h i .
t o t u s e x u s t u s e s s e t & c i n e r i b u s t e c t u s , q u o l o c o M o s e n
o v i u m s o c e r i s u i p a s c e n d a r u m c u r a m h a b u i s s e m e m o -
r a n t . P r o p è C æ n o b i u m a n t e m o n t e m S i n a i l o c u s i l l e *E x o d . 3.*
e s t i n m o n t e H o r e b , u b i D E U S M o s i j u s s i t , u t i n Æ g y -
p t u m f r a t r e s s u o s I s r a e l i t a s l i b e r a t u m i r e t u .

M O N S S I N A I .

XIV. Novembr ante Solis ortum viâ inviâ & præ-
ruptâ, quam tamen monachi qualibuscunq; gradibus
seansioni aptiorem reddere conati sunt, in montem
S i n a i a s c e n d i m u s , c u m q ; d u a s p o r t a s , q u a e p r i s c i s t e m -
p o r i b u s c l a u s æ f u ê r e , t r a n s i i s s e m u s , a d t r i a t e m p l a s i v e
f a c e l l a v e n i m u s , q u o r u m u n u m S . B a r b a r æ , a l t e r u m
S . M a r i n æ , t e r t i u m H e l i æ P r o p h e t æ d i c a t u m e s t . C i r -
c u m c i r c a æ d e s a l i q u o t s u n t , q u a e o l i m h a b i t a c u l a f u ê -
r e m o n a c h o r u m . I n t e m p l o S . H e l i æ p o n è a l t a r e s p e c u s H e -
c u s e s t , i n q u o V a t e m l a t u i s s e d i c u n t , c u m i n s i d i a s I e - l i æ .
z a b e l i s R e g i n æ e s f u g e r e t . A d s i n i s t r a m i n f r a v e r t i c e m *3. Reg. 19.*
m o n t i s l o c u s i s t e e s t , u b i M o s e s D E U M v i d e r e p e t i u t . *E x o d . 33 . v . 18.*
I n i p s o c a c u m i n e m o n t i s S i n a i v e r s u s O r i e n t e m p a -
r u m t e m p l u m e s t , & a d l æ v a m f a c e l l u m . I l l u d i n g r e s s i ,
m o n a c h u s , q u i n o s d u c e b a t , p r e c e s a d D E U M l i n g u à
G r æ c à f u n d e b a t , q u e m n o s s e q u u t i c l a r à v o c e d e c a - *D e c a l o g u s .*
l o g u m : D : s f i n d e die heiligen zehn Gebote r c . deindè o -
r a t o n e m D o m i n i c a m , & S y m b o l u m A p o s t o l o r u m
r y t h m i s G e r m a n i c i s c a n t a v i m u s . A t q ; h i c l o c u s i l l e
e s t , i n q u o s u p r e m i s L e g i s l a t o r D E U S Opt . M a x . d e c a - *E x o d . 20 &*
l o g u m t a b i u l i s l a p i d e i s d i g i t o s u o i n s c r i p t u m M o s i t r a - *32.*

E 3 didit.

didit. Ibidem sacellum est, in quo Mahumetani profano more sacra faciunt. Non procul inde, octo passuum distantia, specus est, in quo Moses post jejunium quadraginta dierum secundâ vice tabulas legis accepit. His visis de monte descendimus, ubi ad cisternam quandam venientes, corporis vires cibo instauravimus. Hinc inferius paulò progressi rupem vidimus præruptam atq; excavatam, quæ ad sinistram est, in quâ Johannem Ægyptum Eremitam magno cum austeritate vixisse; librumq; istum, cui titulus est: SCALA PARADISI, scripsisse referunt. Introiri non nisi humi serpendo potest: intus ad dextram lapis est lecti instar, & ex opposito alius instar sellæ, superitus verò foramen, per quod tantum luminis illabitur, ut legere possis.

Hinc ad sinistram declinantibus in valle quâdam templum D.

D. Johannis Baptiste occurrit, quod hortus, vinea, & ædicula amæna atq; comoda ambiunt. E regione hujus aliud templum est D. Annæ, & ad sinistram in suinmo rupis, specus, qui totus lapidibus tectus est,

Basilicæ, quem **Basilicæ** vocant, in quo duos fratres Regis filios, cum montis videndi gratiâ advenissent, loci sanctitate situsq; amænitate captos, piè ac religiosè ad finem usq; viræ vixisse memorant.

Post hæc in alium montem ascendimus, è quo præter multas regiones, mare rubrum quoq; videri pos-

Templum S. test. In ejus valle templum est S. Pantaleonis, cum ædi-

Pantaleonis. culâ Eremitæ. Hinc magno molimine in vallem

quandam descendimus, viâ præruptâ admodum & pe-

Cœnobium ricolosâ, è regione montis S. Catharinæ, in quâ cœno-

XL. patrum. bium est XL patrum, ædesq; plurimæ, quæ olim Ere-

Templum S. mitarum habitacula fuere. Ibidem templum est S.

Onophrii. Onophrii, & hortus per amænus, variis ac præstantissi-

mis fructibus verè nobilis.

In

In hoc cœnobio cum pernoctassemus, altero mane majori longè cum labore ac periculo quam antea nunquam, præruptum & inaccessibilem montem S. Mons S. Catharinæ conscendimus, in cuius vertice rupes est a- cuta, cui versus Orientem humile facellum inaedificatum est, quindecim pedes longum, & decem latum, in cuius medio monumentum est, in quo olim corpus S. Catharinæ adseratum fuisse dicunt. In hoc facello monachus noster preces ad DEUM fundebat, quam nos sequuti hymno isto V ENI SANCTE SPIRITUS &c. lingua vernaculâ : Komm Heiliger Geist/aliisq; D E U M venerati sumus. Mons iste S. Catharinæ reliquos duos, Sinai & Horebum, altitudine multum superat, ita ut illi hujus respectu non montes, sed colles quidam appareant. In ejus cacumine ad Arabiam desertam, mare rubrum, & urbem Thoram prospeximus. Hinc descendentes ad dextram prope radices montis Horebi petram istam vidimus, quæ mandato D E I à Mose baculo Petra aquana percussa, aquam fontis instar effudit. Pars illius antefundens. rior duodecim cubitorum est, crassities verò tota L II Exod. 17. pedum. Parte anteriore duodecim fissuræ hodieq; vi- dentur, totidemq; parte etiam posteriore, minus tam- men perspicuè apparentes; anterius verò, ut dixi, tam clara miraculi istus vestigia supersunt, ut etiam nuper admodum aquam prosiliisse existimes. Ad sinistram vallis templum est, quod sancti Apostoli vocant, cum Templa S. horto insigni, & ex opposito aliud S. Georgii, cum hor- Apostoli & to itidem florido & amoeno. Prætereà inter hoc tem- S. Georgii. pluim & cœnobium S. Catharinæ specus est rotundus Specus aurei rupi incisus, amplitudine XXXV pedum, in quo Aaro- vituli. nem aureum vitulum fabricasse dicunt. Ultimâ nocte Exod. 32. cœnobium S. Catharinæ nos exceptit, ex quo tandem postero

postero die, qui XVI. erat Novembris, discedentes per Iter per Ra- Raphidim iter fecimus, ubi undecima Israëlitarum phidim. mansio fuit. Hinc per asia loca deserta progressi sumus, Exod. 17. & in quibus Israëlitæ biennium degentes, leges suas ibi à Num. 33. D e o accepere, arcamq; fæderis & tabernaculum, ali- aq; ad cultum divinum pertinentia fabricârunt.

Thora.

XVIII. Novembr. Thoram accessimus. Urbs hæc ad littus maris rubri sita est, nullius planè splendoris: portum habet non adeò capacem, in quo tamen naves omnis generis aromatibus oneratae ex Arabiâ felice, Pellis Sirenis. Abissinâ, & Indiâ appellunt. In hac urbe pellem Sirenis multos ante annos hoc loco captæ hodieq; reser vant, quæ inferiori sui parte in caudam piscis desinunt, superius verò umbilicus tantum cum mammillis adhuc supereft, brachia caputq; amissâ. Incolæ urbis maximam partem Christiani sunt, qui Græcorum more vivunt, & cultum suum lingua Arabicâ perficiunt. Nulli Judæorum nec urbem hanc intrare, neq; ad montem Sinai abire fas est: Christianis enim Judæos ibi, si quos deprehendunt, uti nobis relatum fuit, peculiari privilegio occidere licet. Ego unicum duntaxat Judæum ibi vidi, cui Christiani telonium suum elocârunt.

X X. Novembr. pro more solito testimonia à praefecto Cœnobii petimus, pro quibus illum ducatis aliquot aureis donavimus, atq; sic Thorâ discessimus. Reditus Cai- Hinc in reditu Cairum versus non procul ab urbe Tho- riam. râ vidimus fortes illos duodecim, & LXX. palmas, quo Fontes XII. & loco Israëlitæ castra metati sunt: palmarum numerus palmae LXX. hodiè auctus admodum est.

Exod. 15. v.
ut.

X X I V. Novembr. Carauuanam, quæ recens ad venerat, eodem loco offendimus, quo antea reliqueramus'. XXVII.

XXVII. Novembr. ante refluxum maris ego & Ja- Aliud infor-
cibus Bajerus partem maris rubri propè littus vado tunium Fü-
transivimus, magno tamen cum discrimine vitae. Iam teri.
enim mare præter spem citius accreverat, ita ut ante e-
gressum aqua ad axillas usq; pertingeret. Sed tandem
Dei gratiâ sospites evasimus, pauloq; post ad socios no-
stros in oppido Sueſ reversi, armamentarium urbis u- Sues.
nà perlustravimus.

XXIX. Novembr. vallem istam transivimus, quæ
est è regione Phihahiroth inter Magdalum & mare
contra Beelsephon, ubi Deus Mosèn castra metari juf- *Exod. 14.*
sit, ut ibi poste à Pharaonem cum exercitu in mari ru-
bro perderetur.

XXX. Novemb. tandem salvi omnes Cairum re-
versi sumus, ubi eodem illo die testimonium à Patri-
archâ Græcorum impetravimus.

In hac regione hoc anni tempore non ut apud nos Anni tem-
prata rigent, nec fluvii strepunt hybernâ nive turgidi, pus.
sed cuncta vigent, nemus omne viret, segetes fructusq;
ut apud nos æstate, maturescunt atq; decerpuntur. Il-
lud quoq; singulare est, quod gramen non ut apud nos Gramen ma-
sponte suâ, sed manu satum provenit. Verùm quia e- nu satum.
am urbem primâ vice diu satis & pro voto perlustrave-
ramus, citra moram abitum Alexandriam versus pa-
ravimus, ut eò citius voti nostri Palæstinam videndi
compotes redderemur.. Ante verò quam discedere-
mus, ab amicis monebamur, ut à piratis Nili, qui maxi- Piratæ Nili.
mam partem Æthiopes sunt atq; Arabes, diligenter
nobis caveremus, siquidem non tantum paucis diebus
ante Græci cujusdam navem vi spoliassent, sed clàm e-
tiā atq; dolo, noctu inprimis, singulari nandi peritiâ
sub aquis latere, atq; sic bonis navigantium insidiari so-

lerent. Hanc igitur ob causam, & quia alii quoque remorae nobis injiebantur, ad V. usque diem Decembriter nostrum distulimus. Interea temporis res non nullas rariores coemimus, quas inter vascula erant sive pocula, quae PORCELLANA vocant, quae ex conchyliis & ovorum testis in massam luteam redactis, & per quinquaginta pluresque annos sub terra condensatis tandem artificiose admodum, elegantiam planè mirificam, formare solent sculptores, quibus peculiarem quandam vim contra venena tribuunt. Sed dum nos hanc

Porcellana.

Apostasia cum moram Cairi necimus, accidit ut JUSTUS quidam iusdam Germani STEVENIUS Germanus Hamelensis, qui in iisdem aemani.

dibus nobiscum habitaverat, fide Christianorum abnegata Turcarum religioni se initiandum atque circumcidendum obtulerit. Vir erat doctus, qui diu se Witebergae ac Lipsiae studiis operam dedisse saepè nobis narrabat: verum de hoc facto interrogatus, peculialem nunc sibi Spiritum adesse ajebat, sine cuius instigetu nihil vel facere sibi, vel cogitare fas esset; quae hominis apostasia nimium quantum animos nostros commovit, & ad fugam quasi excitavit. Eodem quoque die Judaeus quidam, qui paucis diebus ante religionem Mahumetanam amplexus fuerat, triumphali pompa per urbem circumducebatur; quod idem cum Stevenio isto futurum esse, Ianissarii quidam nobis affirmabant.

Verum nos reliquis comitibus nostris, quos ad montem Sinai habuimus, Iacobo Beckio Noribergensi, & Johanni Helfrichio Lipsiensi, qui Cairi mercatarae causa diutius morabantur, valedicentes, V. tandem Decembribus die Cairo discessimus, nimirum una mecum Schulenburgius, & duo fratres Bajeri, qui una Alexandriam

Cairo rediunt Alexandria.

xandriam redire, indeq; in Palæstinam proficisci jam antè constitueramus. Primùm igitur Nilum traicentes ad castellum nobilis istius Turcæ venimus, cuius praefectus sive administrator Germanus ille erat Paulus Reuter à Feldkirchen/ de quo supra, qui cœnâ lautissimâ nos excipiebat, cùm prius nos per hortos amoenissimos heri sui hinc indè deduxisset, in quibus præter multas alias plantas raras nobilesq; CANNAM monstra- Canna ex bat mollem, ex cuius medullâ humidâ in molendinis qua saccarū Cairi magno incolarum lucro saccarum colligitur. conficitur.

Planta est arundinea locis humidis proveniens, cuius radix semel in sulcos agri oblongos posita, binis vici- bus, primo nimirum & secundo anno, sine ulteriori culturâ decerpitur : sed postea agrum per octo annos non saccari, sed aliorum fructuum seminibus consere- re oportet, ut sic tandem priorem vim recipiat.

V I. Decembr. ab utroq; Nili latere multos admodum grues anatesq; vidimus, alias insuper aves candi- Grutes, anates das, magnas valde pulchrasq; antea nobis invisas & in- aliæq; aves. cognitas. Earum rostro nautæ sentinam exhaurire solent. Itineris hujus molestias anni tempus levabat. Ni- li enim littora intempestivâ amoenitate florum, sege- tumq; viriditate hyemali animum juxta atq; visum na- vigantium mirum in modum afficiebant. In his locis reperiuntur petræ prægnantes sive lapides Ætites, ad Lapides Æ- multa remedia utiles, quos nihil igne deperdere di- tites, cunt. De eorum naturâ mirabili variisq; generibus fusè tractat Plinius.

VII. Decembr. rudera oppidorum Phitom & Ra- Phitom & messes vidimus, quas urbes Israëlitæ Pharaoni exstru- Ramesses. xere, cum Rex ab illorum multitudine sibi metueret, Exod. 1. & nimio labore gentem invisam perdere cogitaret.

F 2 Eodem

Canop⁹ sive ostium Canopicum ho- Eodem die ad vetustam illam urbem olim Canopum
die Rosetto. sive ostium Canopicum, hodie Rosettum dictam ac-
cessimus, quæ ad sinistram Nili sita CCL. milliaribus

Tac. lib. 2. annal. Cairo abest. Hanc urbem Spartanos condidisse tra-
dunt, ob sepultum illic rectorem navis Canobum, qua
tempestate Menelaus devictâ Trojâ Græciam petens
diversum ad mare terramq; Libyam delatus est. Hæc
Patria Clau- diani. urbs Claudianum Poëtam in lucem edidit. A mari tri-
bus milliaribus abest, ubi loco illo, quo Nilus influit, duo castella munitissima sibi invicem opposita sunt.

Hinc Alexandriam usq; , quæ XL milliaribus Ca-
nopo abest, mulos conduximus, quo V III I. Decembr.
salvi sospitesq; reversi sumus⁹.

Iter in Palæ- stin. Alexandriae pristinis amicis salutandis, resq; ad iter
in Palæstinam necessarias comparando octiduum in-
sumsimus, donec XVI. Decembr. bonis avibus disces-
simus. Hinc primum Canopum rursus profecti sumus,
deinde ad Castellum Brulam, hinc Machelin, qui no-
bilis pagus est in Insulâ Deltâ.

Pelusium si- ve Damiata. XX VI I. Decembr. Damiatam, olim Pelusium ac-
cessimus, urbem ad Nilum sitam, amplam satis, sed
pulchritudine Canopo inferiorem, nullisq; moenibus
cinctam. Ad dextram inferiori parte, quâ mare respi-
cit, castellum est pulchrum juxtâ atq; firmum. Situs ur-
bis amœnus admodum est, quæq; omnis generis fru-
ctibus abundat. Hoc olim robur illud fuit Ægypti, de
quo sanct⁹ Vates refert in sacris literis, quò etiam Pom-
pejus se contulit, cùm à Cæsare victus fugâ sibi prospe-
xit. Verùm postea Rex Mithridates auxiliares copias
Cæsari adduxit, urbemq; obsidione cepit. In extremo
urbis turris est quadrata, in qua columbæ adservantur,
teras ferre quas ad naves, si quæ appellunt, emittere solent, qua-
doctæ.

Ezechiel 30.
vers. 25.

Casar de bell.
civ. lib. 3. &
de bell. Ale-
xand.

Columbæ li-
teras ferre
doctæ.

rum pennis nautæ literas includunt, & sic de nomine
navis, loco unde venit, mercibus quas vehit, aliisq; in-
colas certiores reddunt; non secus atq; olim D. Brutus
in obsidione Mutinensi talibus internuntiis ad castra *Plin. lib. 10.*
consulum usus est, & cornice suâ Rex Ægyptius Mar- *cap. 37.*
rha. Nostrâ etiam memoriâ Batavis, cum Hispanus
Harlemum primùm, deinde Leydam urbēs gravissi- *Meurs. lib. 4.*
mâ obsidione cinxisset, columbas ejusmodi profuisse, *rerum Belgt-*
notum est. Similis turris Alexandriæ quoq; est propè *car. & alij.*
castellum portus novi, in qua antehac etiam isto co-
lubarum ministerio usi sunt. Porrò extra urbem duo
templa sunt Christianorum, unum Græcorum S. Ge-
orgii, alterum Christianorum *de cincturâ.* Pelusio tri-
bus milliaribus abest lacus Sirbonis, cuius longitudo *d. lacu Sirbo-*
LXX milliarium est, latitudo verò exigua. Superius *nis vid. Plin.*
paulò ad dextram Nili Taphnis sive Tanis, de qua *lib. 5. cap. 13.*
mox, & Bubastus urbes sunt, quarum infortunia San- *Bubastus.*
ctus Vates prædixit. Atq; hæc terra illa Gosen est, quam *Ezech. cap. 30.*
Jacobus Patriarcha à Pharaone dari sibi petiit. *Terra Gosen.*
Genes. 46.

XIX. Januarii anno supra millesimum quingen- *cl. 10. lxxv.*
tesimum sexagesimo sexto, lacum Sirbonis trajeci-
mus, vesperiq; jam dictam urbem Taphnī appuli- *Taphnis*
mus. De hujus urbis splendore antiquo inde æstima- *urbs.*
ri potest, quod, ut est apud D. Hieronymum, sedes olim
fuit Pharaonum, hoc est, Ægypti regum magnificen-
tissimorum, totiusq; Ægypti metropolis. De eâ regi-
us Psaltes canit: *coram patribus eorum fecit mirabilia in Psal. 78. v. 15.*
terrâ Ægypti in campo Taneos. Ob scelera verò incolarū,
qui præter alia Jeremiam Vatem lapidibus obruerunt,
tota postea diruta fuit, ita ut hodieq; præter castellum
paucasq; aedes nihil veteris magnificantiae supersit.
De malitiâ illorum Esaias quoq; Propheta queritur, *Esai. 19. v. 11.*

cum inquit : *Stulti facti sunt principes Taneos.* Sunt nonnulli qui heic primam Israelitarum captivitatem fuisse notant, è qua postea per mare rubrum duce Moses sunt erepti.

Cathia ter-
minus Aegy-
pti.

XXI. Januarii ad castellum Cathiam accessimus, quod rubrum inter & mediterraneum maria situm est, latitudine L XX. milliarium. Atq; hic terminus est, quo Aegyptus à Palæstinâ separatur, quo loco vextigal Turcarum Imperatori solvitur..

Gerar.

Gen. 20 Edseq. Regis Abimelechi sedes, quam terram postea Rex A-
sa, devicto Zarâ Aethiopum Rege, devastavit.

P A L Æ S T I N A.

XXX. Januar. in Palæstinam venimus, quam tantis votis semper exoptavimus. Ab occasu sive ad finistram mare habet mediterraneum, ab oriente montem Hebron, à Septentrione partem Phœniciae, à meridie Arabiam petream. Hujus regionis amœnam fertilitatem sacris tabulis aliisq; Historiarum monumentis tantopere prædicatam, quippe quæ lacte & melle, hoc est, omnibus ijs, quibus opus habet mortalium vita, exuberare dicebatur, quotidiana experientia hodieq; confirmat. Sive enim collium fertilissimorum multitudinem speces, sive fructuum præstantissimorum abundantiam, vix aliam illi præferes. Segetes tunc temporis tantæ altitudinis agri ferebant, quantæ terra

terra nostra vix mensibus Majo Junioq;. Negari tamen non potest, antiquæ fœcunditatis hodie vix decimam partem superesse. Heic ad sinistram flectentes, ubi mare mediterraneum conspicitur, in pagum quendam delati sumus D E T T L P A notat, in quo multi Christiani habitant, qui templum gus.

habent S. Georgio dicatum. Prima Palæstinæ urbs (in GAZA. quinq; enim divisa est, ut est in sacris literis, a) & apud a) Ios. 13. v. 3. Plinium b) Gaza est, sic dicta à regiâ pecuniâ, Persis Ga- b) lib. 5. c. 13. za dicta, teste Curtio, c) quam illuc quondam Cambyses Persarum Rex transferri curaverat. Urbs fuit olim ~~stor.~~
munitissima, cuius muros ingentis operis modico præsidio contra Alexandrum M. strenue defenderunt incolæ, ita ut eam, quanquam bellator esset fortissimus, non nisi post bimestre, & duobus acceptis vulneribus capere potuerit, ut est apud Josephum d) & Curtium. e) d) lib. 13. ant. Hodie devastata admodum est, nullâq; ferè parte clau- *jud. c. 21.* sa: ædes habet exiguae & nullius planè splendoris. Sitæ e) lib. 4. de est super colle amoenissimo, quem vallis fertilissima *reb. gest. A-* ambit, in quâ ædes nonnullæ exstructæ sunt. Templa *lex. M.* habet multa satis & pulchra, columnis marmoreis suffulta, inter quæ illud excellit, quod in medio montis situm est, cum turri præaltâ. Hodiè omnia in Moscheas Turcicas mutata sunt, unico tantum excepto B. Virginis, in quo Christiani magno cœtu hodieq; sacra sua ritu & ceremoniis Græcorum peragunt. Anteriore montis parte castellum est rotundum, lapidibus quadratis exstructum, & quatuor turribus munitum, pro- Palatium à pè quod rudera supersunt Palatii illius, quod Samsonis robore ludibrio Philistinorum expositi, suâ juxta subrutum. atq; incolarum cum jacturâ collapsum est. E regione *Iudic. 16.* hujus castelli mons ille est, in cuius verticem Samson *Ibidem.*

portas

portas urbis transtulit. Multa hujus urbis in sacris literis mentio est, prædictoq; ejus infornia Amos. Ex eâ mons Hebron videri potest & urbs Bersabée, in quâ Abrahamus primùm, deindè Isaacus cum Rege Abimelecho fœdus sanxere.

cap. 1. v. 6.

Ascalon. Postrid. Kal. Februarii Gazâ discessimus. Inde per campos oleis & amygdalis per amoenos Ascalonem, secundam & præcipuam Palæstinæ urbem, præterivimus, à conditore Ascalo Hymenæi filio sic dictam. In *Joseph. lib. 5. t. 3. antiqu.* Samson triginta viros percussit, quorum vestes convivis regulis, qui ænigma nuptiale explicuerant, *Hegeſipp. lib. eâ 3. t. 4.* persolvit. Hæc urbs Herodem Magnum, primum Iudæorum regem extraneum, in lucem edidit, qui inde Ascalonites dictus: sub eius imperio Servator noster in hunc mundum natus fuit. Hinc eodem die Azotum, tertiam Palæstinæ urbem accessimus, quam profugus quidam è mari rubro, ex nomine uxoris suæ Azes condidit. In eâ Gigantes habitarunt, & nobile illud Philistinorum simulacrum fuit, Dagon dictum, quod postea ab arcâ Domini magno cum incolarum damno destructum fuit. Heic etiam Philippus Apostolus Evangelium de IESU CHRISTO annunciat, cum eum Spiritus Domini à conversione Eunuchi reginæ Candaces miraculosè hoc deduxisset.

1. Sam. 5.

Astor. 8.

Accaron.

1. Sam. 5.

Geth.

1. Reg. 17.

III. Februarii die præter multos alios pagos ignobiles illum quoq; transivimus, qui olim quarta fuit Palæstinæ urbs, Accaron nomine, cuius incolæ metu stragis Ascalonitarum arcam Domini accipere renuere. Eodem die paulò post præterivimus pagum Geth (qui hodiè totus dirutus est) quintam olim Palæstinæ urbem, ex qua Goliath ille Philistinus superbissimus oriundus

undus fuit. Hinc non procul in vallem Bethsames de- Bethsames.
lati sumus, quò duæ vaccæ arcam Domini reduxére. *1. Sam. 6.*

IV. Februarii Ramam accessimus, ubi in domo Rama.

quadam divertimus *casa di Francki* dictâ, quæ Iopperi versus sita est. Diversorium est commodum satis ac spatiosum, formâ quadrangulari ædificatum, ab omni parte cubicula habens plurima, quod Christiani usui peregrinorum exstruxere. Sunt qui dicant, domum istam fuisse Iosephi Arimathæi, (de quo infra) quam postea Philippus Burgundiæ Dux cognomine Bonus emerit, & in usum peregrinorum hospitum ædificari in hunc modum curârit. Urbs ipsa in valle satis amœnâ sita est, fuitq; olim amplissima, quam egregia ædificia, templa, & cœnobia exornarunt: hodie tota devasta est, nullisq; mœnibus cincta. Heic cisternam subterraneam vidimus, longitudine X X X passuum, latitudine eadem, quæ ad medium usq; aquam continet, ad quam XXIV. gradibus descenditur. Atq; hæc urbs Ramatha. illa est, olim etiam Ramatha dicta, quæ Samuelem Pro- *1. Reg. 25. C.*phetam protulit, educavit, mortuumq; sepeliit. Eam *28.* Baasa Rex Israëlis restauravit, Asa verò rex Iudæorum *3. Reg. 15.* iterum destruxit. Dicta etiam fuit Arimithæa, unde Arimithæa. Iosephus oriundus fuit, qui corpus Servatoris nostri *Matth. 27.* tumulo suo exceptit. Hodiè Rama sive Ramula dici- Ramula. tur. Multi adhuc ibi sunt Christiani Græcæ Religionis, qui in templo B. virginis, magno satis, diebus profestis sacra sua lingua Græca, diebus verò Dominicis Arabica peragunt, quod nuspiam alibi in totâ Ægypto apud Christianos observavi. Xylon sive Gossipium magna copia ibi provenit. Hinc duobus milliaribus Lyda, Lydda, Diospolis quoq; dicta, sita est, ubi Christiani partem chori in templo S. Georgii, quod totum fere diru-

Acto. 9.

tum est, adhuc obtinent. Hæc urbs illa est, in qua Petrus Æneam paralyticum virtute IESU CHRISTI pristinæ sanitati restituit, indeq; Ioppen discedens, non procul inde submotam, Thabitæ defunctæ vitam reddidit.

VII. Februar. Ramæ mulos conduximus, quibus per rura lapidosa, sed pascua tamen, vesti sumus, ubi ad sinistram in valle quadam pagum Emmauntem è longè conspeximus, de quo plura infrà. Hinc monte quodam superato per vallem angustam & lapidosam ad templum quoddam venimus, quod Ieremiæ Prophætæ sacrum est, ubi rudera supersunt urbis Anathot, quæ Vatis istius patria fuit. Haut longo ab hinc intervallo in monte quodam plurima vidimus ædicia diruta, ubi olim Nobe fuit civitas Sacerdotum, hodiè Saba dicta, quam Saul, eò quod Abimelech sacerdos Davidem profugum panibus sacris aluisset, gladio percussit. Deinde alios montes concendimus, è quibus retrò mare mediterraneum vidimus, & oppidum Ioppen, quæ à Barbaris Iaffa appellatur. Hinc in vallem Terebinthi delati sumus, ubi David à Goliatho victoriam monachia reportavit. Ibidem non procul Bethoron est inferior, quam urbem Salomon iterum exstruxit.

*Anathot.**Jerem. 1.**Nobe sive
Saba.**1. Reg. 21.
& seq.**Joppe sive
Iaffa.**Vallis Tere-
binthi.**1. Sam. 17.
Bethoron.**3. Reg. 9.*

HIEROSOLYMA.

*Mons Gi-
hon.*

Tandem verò montem Gihon accessimus, ex quo sacram urbem HIEROSOLYMORUM tam diu desideratam, Orientem versus, ingenti cum lætitia conspeximus. Eam paulò post pedites ingressi sumus, per portam Davidis, quæ à turri propinquâ sive castro sic appellata est: hodiè portam piscium vocant, à piscibus, qui

rbem
x tam
imnia
iasset,
oris a- Cœnobium
œno- Franciscan.
lifica-
urbis
s,ma-
emni
: pri-
loca

d Jo- Situs Urbis.
icco- lib. 2. bell.
t Pli- Ind. cap. 3.
odò, lib. 5. cap. 14.
uper
iver-
Ver-
abet,
is or-
iedi-
item
nt;
dunt Psal. 87.
r; ut Psal. 125.
u po- Joseph. 1. an-
; pa- tiq. Ind. 11. &
urbi 7. bell. Ind. 18.
oly- Gen. 14. v. 18.
us, à cap. 18. v. 28.

Iebusæo.

50

tum est
trus Æ
stinæ s
procul
reddic

V

per ru
sinistr
gè coi
dam i

temp
tæ sac

Anathot.

Jerem. 1.
Vatis
mon

Nobe sive
Saba.
olim
quar

1. Reg. 21.
& seq.
prof
indè

Joppe sive
Iaffa.
mec

Vallis Tere-
binthi.
Barl

1. Sam. 17.
Bethoron.
dela

mac
infe

3. Reg. 9.

Mons Gi-
hon.

faci
rat
mi
tar

pellata ex: nōnē portantur

ju
qui

HIEROSOLIMA. fol. 50 effegg.



G 2

Iebusæo.

pellata et modic p... pucibus
qui

qui Ioppe aliisq; è locis maritimis adferuntur. Urbem ingressi, in limine statim consistere jussi sumus, & tam diu exspectare, donec nomina nostra armaq; omnia Turca quidam, quem **SUBASSIN** vocant, consignasset, quo facto ad sinistram urbis in cœnobio S. Salvatoris a- **Cœnobium** pud monachos Franciscanos divertimus. Hoc cœno- **Franciscan.** bium non magnum adeò est, sed commodè ædifica-
tum. Olim extra urbem fuit, hodiè intra mœnia urbis inclusum. In ejus medio facellum est S. Salvatoris, ma-
gnum satis pulchrumq;. Postero die pro more solemní
Sangiaco cæterisq; officiariis munera misimus : pri-
us enim urbem perlustrare nobis, sacraq; adire loca
permisum non est.

Urbs ipsa Hierosolymorum prima, ut est apud Jo- **Situs Urbis.**
sephum, tanquam regia præ cæteris inter omnes acco- **lib. 2. bell.**
las Iudææ eminens, velut caput in corpore, sive ut Pli- **Iud. cap. 3.**
nius loquitur, omnium Orientis, non Iudææ modò, **lib. 5. cap. 14.**
addo ego, totius olim mundi longè clarissima, super
colle alto satis ad montem ædificata est, Orientem ver-
sus, ita ut ex eâ loca remotissima visu obiri possint. Ver-
sus meridiem montes Seir & mare mortuum habet,
versus Aquilonem Galilæam & Samariam, versus or-
tum Arabia est deserta, & versus occasum mare medi-
terraneum. Regio circumiacens maximam partem
montosa est, ad quem urbis situm Psalmi alludunt;
fundamenta ejus in montibus sanctis; Item, *Qui confidunt Psal. 87.*
in domino, tanquam mons Sion non commovebuntur; ut *Psal. 125.*
montes in circuitu Ierusalem, ita Dominus est in circuitu po- **Joseph. 1. an-**
*puli sui. Primus ejus conditor Melchisedechus fuit, pa- **tig. Iud. 11. 8.**
triâ linguâ Rex Justus cognominatus, qui primus urbi **7. bell. Iud. 18.**
Solymæ nomen dedit, ipse verò Rex Salem sive Soly- **Gen. 14. v. 18.**
mæ dictus fuit. In historiâ Iosuæ vocatur urbs Iebus, à **cap. 18. v. 28.***

Iebusæo Cananæi filio. Postea verò Iebusæis expulsis,
2. Reg. 5. & David eam restauravit, regiamq; ibi extruxit, ex quo
Ioseph. d. loc. Civitas Davidis appellata fuit. Tandem cùm Salomon
templum illud magnificentissimum in eâ extruxisset,
Ioseph. 7. bell. Hierosolyma dicta fuit, à templo nimirum sancto, in
Iud. cap. 18. quo Deus peculiari ritu coli voluit. Fuit autem fortuna
 hujus urbis varia, utpote quæ diversis vicibus, ob
a) 2. Paral. 21. pessimæ gentis impietatem, nec secundis nec adversis
vers. 16. 17. rebus ferendis idoneæ, nunc à Palæstinis & Arabibus
b) 4. Reg. 14. sub Ioram, *a)* nunc à Ioâ Israëlitarum rege, *b)* nunc à
vers. 13. 14. Nabuchodonosore, *c)* nunc ab Antiocho Epiphane,
c) 4. Reg. 24. *d)* nunc à Pompejo, *e)* nunc ab Herode *f)* graviter ob-
d) 1. Macc. 1. sessa captaq; fuit. Et quanquam Deus illam præ aliis
e) Ioseph. 14. omnibus charam habuit, sibiq; domicilium, ubi no-
Antiqui. 8. men suum esset, elegit, *g)* & in æternum duraturam
f) Eod. lib. condidit: *h)* ob sceleratissimorum tamen incolarum
cap. 24. inauditam crudelitatem, qui post multa alia peccata i-
g) 3. Reg. 8. psum tandem filium DEI, humani generis Sospitato-
vers. 14. rem, nefariis manibus, quo nullum scelus altius eniti
h) Psalm. 42. potuit, cruci affixerunt, à Tito tandem Vespasiani fi-
vers. 7. lio funditus eversa, soloq; æquata fuit, ita ut neq; anti-
Ioseph. 7. bell. quitatis gloria, neq; per totum terrarum orbem diffu-
Iud. Tacit. lib. sa fama, neq; opes maximæ, neq; munimenta fortissi-
s. histor. & ma, nec divina religionis prærogativa quicquā juverit:
Sueton. in nimirum, quia ut præclarè Machabæorum refert hi-
Tito. storia, *Deus non propter locum gentem, sed propter gentem,*
2. Machab. 5 *locum elegerat.* Post eversionem verò istam à variis
vers. 19. quidem redificari coepit, in primis verò ab Ælio
 Hadriano Imp. qui à se Æliam Capitolinam appella-
 vit; sed infeliciter semper, & in aliarum devastatio-
 num materiam. Eam enim nunc Persæ, nunc Sarace-
 ni, nunc Turcæ, nunc verò Christiani tam diu bello
 cruen-

cruentârunt, donec tandem impia Mahumetanorum
gens miserabilem urbem nullo splendore, vel exiguo
certè & antiquæ magnificentiæ minimè pari, violentâ
manu ceperit, sibiq; tributariam fecerit : quod futu-
rum esse arcanus ille Vates in Apocalypsi suâ prædictit,
ubi Sanctorum castra & Urbem amatam à Gogo & Ma-
gogo occupatam se vidisse scribit. Hodiè munita satis
est, & undiquaq; mœnibus ante annos XXX partim re-
paratis, partim de novo exstructis cincta, quo tempore
mons Calvariæ intra mœnia urbis adhuc inclusus fuit,
mons Sion verò exclusus. Versus Septentrionem & oc-
casum maxima pars mœniorum super rupem miro ar-
tificio condita est, ita ut quibusdam locis dimidia pars
mœniorum mera rupes sit, dimidia verò rupi inaedifi-
cata. De situ ejus & munitionibus antiquis post Iosephum,
qui fusè admodum descripsit, ita refert C. Ta-
citus: (Hierosolymorum) urbem arduam situ, opera mo-
les firmaverant (Iudæi) queis vel plana satis munirentur.
Nam duos colles immensum editos claudebant muri per ar-
tem obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium
ad iictus patescerent. Alta intus mœnia regiæ circumjecta,
conspicuoq; fastigio turris Antonia, in honorem M. Antonij
ab Herode appellata.

*Apocal. 24.
v. 8. 9.*

lib. 6. bell.

Iud. c. 6.

lib. 5. histor.

Hodiè ædes habet pulchras, commodeq; exstru-
ctas ; multa tamen adhuc loca sunt nullis ædificiis oc-
cupata, quia multitudo hominum ibi est exigua. Illam
urbis partem, quæ meridiem versus est, duo temploa Sa-
lomonis, & S. Mariæ occupant. Versus ortum verò
& occasum urbs muro ædibusq; circundata est, por-
tisq; ab omni illâ parte, quæ ad aream templi ducit, or-
nata. Circuitum totius urbis octo M. D. XVII passuum
esse referunt. Plateas habet plurimas, inq; ijs mercato-

rum tabernas, quæ fornicatæ sunt & superior i parte lu-
men recipiunt. Pleræq; tamen vacuæ sunt & inanes,
pauciq; ibi sunt, qui mercaturam exercent.

**Castellum
Hierosoly-
mitanum.**

Templum.

a) 3. Reg. 6.
b) lib. 6. bell.
Ind. cap. 6. &
lib. 8. Antiq.
Ind. c. 2.

lib. 1. bell. Ind.
cap. 5.

lib. 5. Histor.

Castellum urbis occasum versus rupi in ædificatum
est, fossâq; profundâ munitum, quod à Pisanis exstruc-
tum esse referunt. In ejus ponte Ianissariorum cum Agâ
suo custodias agunt.

Templum verò urbis magnificè admodum marmo-
re versicolori exstructum est, superius quasi cupam ha-
bens plumbo tectam, ad modū veteris illius, quod Salo-
mon inimitabili magnificentiâ exstruxit. Veteris ma-
gnitudinem & splendorē post sacras literas, a) Flavius
b) Iosephus b) acutissimè descripsit. Hodierni condito-
rem Turcæ tertium à Mahumete Imperatorem H A u-
lib. 8. Antiq. MAR celebrant, cujus magnitudo veterem illam Salo-
monis non exæquat, licet veteri fundamento innita-
tur. De veteri illud in primis memorabile est, quod, ut
est apud Iosephum, tantâ munitione circumdata fui-
t, ut etiamsi civitas caperetur, secundum esset ab hosti-
bus in eo refugium, de quo etiam C. Tacitus: *templum,*
ipsæ porticus, quis templum ambiebatur, egregium
propugnaculum. Hodiernum in area quadrata exstruc-
tum est, ad quam ab omni parte gradibus ascenditur,
quo loco olim mons Moria fuit, in quo vetus Salomo-
nis templum fuit ædificatum. Sed montem istum Ro-
mani complanârunt, & cum ruinis templi in torren-
tem Cedron miserunt. Portæ templi sunt quatuor,
quas singulæ porticus ambiunt, in quibus plurimi sunt
Santoni, qui quotidie pro incolmitate regni Mahu-
metani vota faciunt, & à Turcarum Imperatore ex re-
ditibus S. Sepulchri stipendia accipiunt. Singulæ por-
tae ex-

tæ excubias suas habent, quæ omnes alios, qui Turcæ aut Arabes non sunt, ab introitu arcent, ex quo fit, ut nemo Christianus de internâ illius formâ ut testis oculatus referre possit. Si quis Christianus vel Iudæus ingreditur, vel Turcarum religionem amplecti cogitur, vel factum ultricibus flammis expiare. Turcis etiam nisi lotis prius pedibus introire nefas est. Dicunt introrsus tribus ordinibus columnarum è candido marmore ædificatum esse, asservariq; in eo rupem istam, in qua David angélum illum vastatorem vidit, qui po- 2. Reg. 24.
 pulum à Rege lustratum gladio pestifero percussit. Nos bis paulisper tantum introspectimus, primum è domo Arabis cujusdam, quæ è regione est ; deinde cum ad portam ejus speciosam nomine duceremur, quæ hodieq; pulchra admodum est, & gradibus aliquot elata. Verùm antequam plura de illis referam, quæ hodie ibi peregrinis monstrari in primis solita, quæq; ipse oculis usurpavi, prius notabilem illum Iosephi epilogum de divinæ hujus urbis plus quam humana eversione adponam, ut sic animus inauditæ istius calamitatis consideratione ad intentiorem contemplationem in relicta miseria vestigia excitetur. Sic igitur Iosephus : Postquam exercitus quos occideret, quidvè ra- lib. 7. bell.
 peret non habebat, quia iratis animis omnia deerant, (nec Iud. c. 18.
 enim parcendo si esset quod agerent, abstinuissent) jubet eos Cæsartotam civitatem & templum funditus eruere, relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phasaëlo, Hippico, & Mariamne, muriq; tanto, quantum civitatem ab occidente cingebat : id quidem ut esset castrum illic custodiæ causa relinquendis, turres verò, ut posteris testarentur qualém civitatem quamvè munitissimam Romanorum virtus obtinuisset. Alium verò totum ambitum civitatis ita compla-

complanavere diruentes, ut qui ad eam accessissent, habitam aliquando esse vix crederent. Atq; hic finis eorum dementiā, qui res novas movere tentārant, Hierosolymis fuit. Hæc ille. Quo exemplo infelicissimæ gentis, nec suum nec alienum imperium ferentis, utinam nos probi esse disceremus. Sed nunc in viam rediens, quæ hodiè ibi memorabilia addam.

Tertio igitur die pōst quām urbem ingressi sumus, qui IX. erat Februarii, præfectus cœnobii monachum quendam, CORNELIUM nomine, perlustrandæ urbi ducem nobis dabat. Vir erat humanus & supra vulgarem solitariorum eruditionem doctus, de quo mystagogo Hierosolymis idem ferè hodiè dici potest, quod Tullius olim de mystagogis Syracusanis dixit: *hi, qui hospites ad ea quæ visenda sunt ducere solent, & unumquidq; ostendere, quos illi mystagogos vocant, conversam jam habent demonstrationem suam.* Nam ut antè demonstrabant quid ubiq; esset, ita nunc quid undiq; ablatum sit ostendunt. Is igitur primūm per portam judicariam (quæ ita dicitur, quod per eam capite damnati in montem Calvariæ, hoc est, locum judicii exequendi deducebantur, quam etiam Salvator noster, cum iam cruci

**Ædes S. Veronicæ & di-
vidulæ** affigi deberet, transiit) ad ædes olim S. Veronicæ nos-
træ, & di-
ducebat: deinde ad domum divitis Epulonis, à qua non
vit. Epulonis. procul locus ille est, ubi Servator noster ad muliercu-

**Vid. Ambros.
commentar.
in Lucam
cap. 16.** las, quæ eum cum lacrymis sequebantur, conversus, non mortem suam, sed proprium illarum & totius urbis infortunium exitiumq; deplorare jussit: item alter ille, ubi Iudæorum cohors Simoni Cyrenensi crucem post Iesu tergum ad locum Calvariæ ferendam impo-suere. Posthæc porticum, ECCE HOMO, dictam vidi-
Dom' Pilati. mus, & domum Pilati, quam hodiè Sangiacus inhabi-

rat,

tat, ad cuius sinistram super colle per amoenum Herodis Palatium palatum est, in quod Iesus à Pilato missus, ab Herodis. rodianis derisus fuit: & paulò inferius templum S. An- Templum næ, quo loco B. virginem habitasse referunt. Ulterius S. Annæ. progressi per portam gregis, (quæ ita dicitur, quod Porta gregis. greges olim per eam introducebantur in templo im- molandi) propè templum Salomonis ad piscinam Piscina Pro- Frobaticam venimus, quæ quinq; porticus habuit, in batica. quibus jacebant ægroti, aquæ motum expectantes. *Ioh. 5.* Porta illa gregis alias etiam B. Stephani vocatur, juxta Porta S. Ste- quam versus torrentem Cedron locus ille monstratur, phani. quo D. Stephanus lapidibus obrutus fuit. Hinc non procul porta aurea abest, ad aream templi ducens, Porta aurea. quam Turcæ, quo minus pervia esset, muro obstruxerunt. Ad medium torrentis magnum templum loco Templum B. isti inædificatum est, ubi corpus B. Virginis sepultum Virginis & fuit, cujus sepulchrum ejusdem magnitudinis est cum sepulchrum. sepulchro Christi, de quo infrà. Ad dextram illic S. Joachimi & S. Annæ monumenta visuntur, qui paren- S. Joachimi tes fuere B. Mariæ, & è regione sepulchrum Josephi B. S. Annæ & Virginis mariti, ad quæ omnia gradibus aliquot infra S. Josephi terram descenditur, quia templum in loco subterra- monumen- neo extat. Hinc ad locum illum accessimus, in horto Hort⁹ Geth- Gethsemani, ubi Servator noster ad Deum patrem pre- semani. ces fundens sanguine sudavit; deinde ad alterum il- lum, in quo tres ipsius discipuli, Petrus, Jacobus, & Jo- hannes opperiri & orare jussi, nimio sopore gravati obdormivere. Ibidem illum quoq; locum vidimus, ubi Christus Iudæ osculo proditus fuit, propè pontem tor- rentis, ubi in saxo vestigia monstrantur pedum Chri- sti. Prætereà duo ibidem monumenta sunt egregia, Monumenta quorum unum rotundum est instar Sacelli, lapide fa- Absolonis & Zachariæ.

stigiato tectum, quod alii Absolonis, alii Iosaphati esse dicunt: alterum Zachariæ filii Barachiæ cum Pyrami-

Mons offensio- de, ad cuius sinistram propè montem Oliveti collis ille
nis. est, mons offensionis dictus, ubi Salomon idolum Mo-

3. Reg. 11. loch erexit, quo detestabili loco homines malè sani filios suos dæmoniis offerebant, traicientes eos per ignem. E regione ille locus monstratur, ubi Iudas la-

Fons Silohæ. queo collum sibi fregit. Hinc ad fontem Silohæ & pi-

Iob. 9. scinam ejus progressi sumus ad pedes montis Sion, in qua cæcus ille natus mandato Christi oculos lavans, vi-

Quercus dens ad suos rediit. Illic superius paulò quercus illa ste-

Rogel. tit Rogel dicta, ubi Adonias Davidis filius splendido

3. Reg. 1. habito convivio regnum patris affectavit, quo eodem

loco etiam Vates Esaias sepultus dicitur, ferrā prius

juxta fontem Silohæ disiectus. Haut longo indè inter-

vallo specus est, in quo discipulos Christi tempore pa-

Sepulchra sionis latuissè memorant. Circum hæc loca sepulchra

Iudeorum. sunt Iudeorum plurima, omnia è rupe excisa, quæ in-

Hakeldama, ter ager figuli est, Hakeldama dictus, emptus triginta

argenteis, quibus Iudas Dominum vendidit, quem a-

grum peregrinorum vocant in quo hodièq; Christiani

peregrini sepeliuntur. Hinc ad aquæductum descen-

Via agri ful- dimus piscinæ superioris, quæ est in viâ agri fullonis,

lonis. ubi Rabsaces præfектus militum Sennacheribi, tempo-

4. Reg. 18. tribus Ezechiae cum Iudeis de ditione urbis è muro

Ezai. 36. superbè colloquutus est. Atq; hæc unâ die perlustra-

vimus".

X. Februarii à meridie ad S. Sepulchrum abeuntes

locum illum præterivimus, ubi Abraham filium Isa-

acum immolare jussus est, propè quem rudera super-

sunt palatii Equitum S. Sepulchri; duo item templi

magna satis & egregia Orientem versus, quorum u-

num

ndo Equi-
um Meli-
nsum.
litor. 12.

Gothofredi
Bullionei fa-
tum memo-
abile.

Epitaph.
Bullonei

Et Balduini.

Mons offen-
sionis.
3. Reg. 11.

Fons Silohæ


Ioh. 9.
Quercus
Rogel.
3. Reg. 1.

Sepulchra
Iudæorum.
Hakeldama,

Via agri ful-
lonis.
4. Reg. 18.
Esaï. 36.

Genes. 22.

FORMA TEMPLI S. SEPVLCHRI EXTERIOR. fol. 59.



180. FOURTEEN LINES OF A LOST ALLEGORY



num D. JO HANNIS vocatur sive Equitum Melitensi- Ordo Equi-
um, qui ordo sacrae militiae à Balduino III. Hierosoly- tum Meli-
morum Rege Christiano institutus, à professione D. tensum.
Johannis nomen adeptus est: alterum S. MARCI, quo *Actor. 12.*
loco carcer ille fuit, in quo Herodes D. Petrum detinu-
it, qui locus hodieq; carceri destinatus est.

T E M P L U M S. S E P U L C H R I.

His visis ad templum S. Sepulchri adcessimus, ad
quod antequam intro mitteremur, prius singuli no-
vem ducatos, ut vocant, Venetos persolvimus. Mer-
catores Veneti quinq; tantum persolvunt: Christiani
Graeci, qui Episcopo Constantinopolitano parent, qua-
tuor: illi verò qui Antiocheno & Alexandrino, duos
duntaxat; cuius pecuniae portionem Turcae in Xeno-
dochium impendunt. In hoc templo propè chorū
monumenta sunt duorum Argonautarum Christia-
norū, qui posteā successivè in reges Hierosolymita-
nos electi fuēre, Gothofredi Bullionei, & Balduini, quo-
rum illius, qui primus Rex fuit Hierosolymis, hoc fa-
ctum memoriam dignum est, quod cùm pro ritu solen-
tum memori corona ipsi offerretur, eam repudiārit, negans se eo
loco auream coronam suscepturum esse, in quo Ser-
vator humani generis spineam tulisset. Monumento
ipsius hæc verba inscripta sunt: *heic jacet inclitus Gode-
fridus de Boullion, qui totam istam terram acquisivit cultui Epitaph.
divino, cuius anima requiescat in pace, Amen.* In altero Bullionei
verò Balduini ista leguntur:

*Rex Balduinus, Iudas alter Maccabaeus,
Spes patriæ, vigor Ecclesie, virtus utriusq;
Quem formidabant, cui dona tributa ferebant*

H 2 Cedar

Et Balduini.

*Cedar & Egyptus & Edom ac homicida Damascus,
Proh dolor! in modico clauditur hoc tumulo.*

Superius ad dextram templi in rupe quâdam scisura est, quam tempore mortis Christi factam referunt.

Mons Calvariae.

Sacella plurima à S. Helena & Constantino Imperat. ædificata.


Sacellum S. Sepulchri.

Ophites.

*Plin. lib. 36.
c. 7.*

Hinc gradibus in montem Calvariæ ascendentes, quo loco Adamum & Melchisedechum sepultos fuisse memorant, locum vidimus sanctæ crucis, & circumcirca facella plurima, ut Sacellum coronationis, Sacellum crucifixionis, Sacellum S. Helenæ, Sacellum inventæ crucis, Sacellum vestimentorum divisorum, Sacellum fellis & aceti, & Sacellum columnæ, ad quam Christus flagellis cæsus fuit, aliaq; plura. Dicunt enim S. Helenam, quæ ob Christi crucem inventam tanto-pere ab Ecclesiasticis Scriptoribus, utpote Divis adscripta, commendatur, & Constantinum Imp. per totam terram sanctam omnibus ijs locis, quorum mentio est in sacris literis, vel templum, vel Sacellum in rei memoriam ædificasse. Ibidem in viâ duo lapides sunt rotundi, quorum unus locum illum notat, ubi Christus à resurrectione Mariæ Magdalenæ formâ hortulani apparuit: alter verò illum, quâ mulieres Dominicâ Resurrectionis cum unguentis suis transfiere. In templo isto, quod dixi, Sacellum est S. Sepulchri, quod ab utroq; latere duos lapides habet marmoreos, mœniorum instar, quibus infideri potest, & ostium ex Hebeno, per quod in aliud Sacellum intratur, quod anterius vocant. In hujus anterioris Sacelli medio Ophites est tantæ longitudinis, quanta est latitudo Sacelli, qui lapis serpentium maculis similis est, unde & nomen accepit, contra ictus illorum aliaq; ad remedia valens. Est & rupes ibi quadrata, super quâ angelos à resurrectione Christi sedisse affirmant. Hoc Sacellum anterius

MA TEMPLI S. S.



Mons
variæ.

Sacella
rima à S
lena &
stantin
perat. a
cata.


Sacellu
Sepulcl

Ophite
Plin. lib
c. 7.

etore Cimini reuile affirmant. Hoc Sacellum ante-
rius


FORMA TEMPLI S.S.E.

PVLCHRI INTERIOR. fol 60






S. SEPVLCHRVM.


etiam omnia reumie affirmant. Hoc sacellum ante-
rius




MONS CALVARIUS









rius totum marmore stratum est, longitudine XII pedum, utrinq; fenestellis conspicuum. Versus Orientem ostium habet è rupe excisum humile admodum, ita ut non nisi curvatus transire possis.

S. SEPULCHRUM.

Per hoc ostium in crÿptam istam intratur, in qua ad dextram ipsum sanctum est sepulchrum, candido marmore obductum, exceptâ superiori parte, quæ rupes est scabra atq; impolita. Longitudo ejus octo pedum est, spatiū verò illud, quod sepulchrum inter & reliquam cryptæ partem interest, duos duntaxat pedes latum est. Fenestram habet nullam, sed sexaginta circiter lampades à diversis nationibus illic suspensas, & tria superius spiracula, per quæ fumus emittitur. Supra sepulchrum, quo altaris loco utuntur, tabula dependet, in qua historia resurrectionis Christi depicta est, opere perantiquo. Atq; hic locus ille est, in quo monachi Equites istos, quos vulgò Hierosolymitanos Equites Hierovocant, creare solent, quem honorem petenti non faciliè denegant, si præter impensas ad ritum initiationis nisi necessarias, non magnas admodum, decem ducatos aureos persolvat, & ritu illorum ad sacram σύναξιν accedat, inq; hæc capita juret: quod verè sit Christianus, quod verè nobilis, qui propriis redditibus vivere possit, quod adversus infideles suis sumptibus militare, quod viduas & pupillos, in primis verò Religionem, ut vocant, Catholicam Romanam defendere velit &c. in cuius testimonium postea literas patentes erogant rubro sigillo confirmatas, cum hac inscriptione: *Hoc est Sigillum S. Sepulchri & equitum ejusdem.* In Sacello S. sepulchri soli Latini missam celebrant, reliquis intra-

re tantum permisum est, ita tamen ut calceos prius exuant. Hæc loca cùm perlustraremus, diversis vici- bus, in primis verò in hoc facello interrogati fuimus, cur & nos non cæterorum more ad confessionem & cœnam Domini accederemus, quod tandem non citra periculi metum rationibus qualibuscunq; modestè re- cœnavimus, id quod nonnulli monachorum vehemen-

Christiani
variarum na-
tionum & se-
ctarum in
templo S. Se-
pulchri sacra
faciunt.

Statuæ ibi
nullæ.

Templum
Jacobi mi-
noris.
Actor. 12.

ter admodum mirabantur. In ipso verò templo majo- ri, quod lampadum numero conspicuum valdè erat, ingens hominum multitudo diversarum nationum & sectarum convenerat, Græci, Armeni, Syri, Nestoriani, Jacobitæ, Georgiani, Abassini, Maronitæ, aliiq; qui omnes confusè singuli suâ linguâ rituq; nullo servato ordine, pars orabant, pars hymnos cantabant, pars celebrabant missam. Eorum nonnulli in urbe Hiero- lymorum locisq; vicinis habitant, alii exteri sunt, & certis tantum anni temporibus devotionis causâ illuc veniunt. Statuas in templo habent nullas præter Constantini Imp. & S. Helenæ, & superiori templi parte duodecim Apostolorum imagines opere Musivo sive tessellato graphicè redditas. In hoc templo cùm pernoctassemus, posterò die, qui XI. erat Februarii, à Turcis iterum dimissi sumus, qui fores duplice pessulo ob- debant.

Hinc ad domum adcessimus, in qua tres Mariæ unguenta sua præparâvint, quæ Dominicâ resurrectionis ad ungendum corpus Christi exivere. Hinc non procul templum est Jacobi minoris, in cuius medio marmoreum monumentum est, quo loco dictum Apostolum jussu Herodis Agrippæ securi cæsum fuisse dicunt. Posthæc ad cœnaculum domus Caiphæ ac- ces- simus; hinc juxta muros urbis ad portam sterquilinii, à qua

qua non longè locus ille abest, ubi B. virginem è vivis De morte 1.
 excessisse ferunt, de cuius corpore monachi narrant, virginis.
 cùm Apostoli illud ad sepulturam deportârint, Iudæos quosdam advenisse, corpusq; defunctæ vi auferre voluisse; verùm subitâ consternatione ab incepto dertitos, corpus Apostolis sepeliendum reliquisse. Ibi dem ille quoq; locus monstratur, ubi Petrus perfidæ abnegationis suæ memor ad Servatorem respexit & amarè flevit. Per hanc portam sterquilinii, quæ est in Porta sterinfimâ urbis parte, Christus captivus introductus fuit. quilinii. Per eam sordes urbis, Moriam inter & Sionem montes, in torrentem Cedron effluunt.

Hinc inferius paulò angulus quidam adhuc superest antiquorum mœniorum, operis reverâ stupendi, & propè eum alias quidam, ubi in supremâ mœniorum parte è fenestrâ columnæ cuiusdam particula trium pedum protenditur, de qua Turcæ hanc fabulam, sive Fabula Turblasphemiam potius credunt: super eâ Mahometen carum. suum tempore judicii extremi sessurum esse, & de iudicio Christi cognitorum, rectené humanum genus judicârit; quo deprehenso sororem suam ipsi desponsatus sit, & sic conjunctiorem amicitiam cum ipso initurus.

His visis torrentem Cedron transivimus, qui nisi Torrens Ce-frequentes sint pluviæ, totus exsiccescit. Hinc mon-dron. tem Oliveti conscedentes in viâ locum illum vidi- Môns Oli-mus, quo Ficus stetit, quæ ex maledictione Christi obveti. non repertos fructus exaruit. Situs illius montis pera-Ficus male-dicta. mœnus est, è quo montes Iudeæ, deserta Arabiæ, ma-re mortuum, mons Seir, Iordanis fluvius, & planities Hierichuntis visu obiri possunt. Ex eo etiam in valle quâdam tugurium vidimus, quod olim facellum fuit, quam

Dom' Simo- quam Simonis leprosi domum fuisse ferunt. Propè
nis leprosi. hunc montem Bethania sita est, & castellum Lazari,
Bethania & quod super rupem conditum est loco per amoenissimum, estq;
castellum fossâ & quadratâ turri probè munitum. Infra hanc ru-
Lazari. Sepulchrum Lazari est, quem Christus è mortuis
Lazari. resuscitavit, quod hodiè in facellum mutatum undi-
quaq; marmore splendescit.

Iohann. 11.

Hinc ulterius milliare circiter ascendetes Aqui-
Bethphage. lonem versus, ad locum venimus, ubi olim Bethphage
Marc. 11. sita fuit, propè bivium, ubi Christus duos discipulos a-
sinum cum pullo adducentes præstolatus est. Hinc al-

Marc. 16. & altius contendentes tandem cacumen illud attigimus, è
Aetor. 1. quo Servator noster à nube receptus in cœlum ascen-
dit, cui loco hodiè facellum formâ rotundâ in ædifica-
tum est. Ex hoc loco situs regionis, ædificia urbis, tem-
pliq; magnificantia mirâ amœnitate prospiciuntur, ita
ut vel ex solo aspectu non exigua voluptatem capias.
Neq; enim terras tibi, sed formam aliquam eximiamq;
pulchritudinem piëtam videris cernere, ita ut quo-
cunq; inciderint oculi, varietate reficiantur. Hinc de-
scendentes hortum Gethsemani, & sepulchrum B. vir-
ginis præterivimus, ubi etiam vestigia domus cujus-
dam monstrantur, in qua Apostolos Symbolum illud,
quod Apostolicum vocamus, concinnasle referunt.
Luc 19. & 21. Ibidem locus ille est, ubi Christus interitum urbis cum
lacrymis prædixit. Atq; sic tandem per portam D. Ste-
phani in urbem reversi sumus.

*Iter Hierosolymis Beth-
lehemitum.* His viis asinos conductimus, & Bethlehemum pro-
fecti sumus, quæ quinq; milliaribus Ital. Hierosolymis
abest, per portam piscium sive castelli, ubi piscinam
Piscina Beth-Bethsabæ præterivimus, quæ omniū maxima est Hie-
rosolymis, & naturali profunditate loco sublimi exca-

vata,

vata, in qua David Bethsabam lavantem vidiit, & ob sin- *2. Sam. c. 11.*
 gularem formæ pulchritudinem vesano amore depe-
 riit. Ad sinistram, collem vidimus, ubi Pharisei consili-
 um iniere contra Christum. Non procul inde cisterna *Cisterna ma-*
Magorum est in bivio, quo loco stella, quæ Hierosoly- *gorum.*
 mis oculis illorum se subtraxerat, cum Bethlehemum *Matth. 2.*
 abirent, denuò comparuit. Hinc ulterius paulò cœno-
 bium est S. Heliæ, quod Græci possident, quo loco ju- *Cœnobium*
 niperum stetisse referunt, sub qua Vates nimiâ affli- *S. Heliæ.*
 ctione mori optans, ab angelo Domini confirmatus *3. Reg. 19.*
 fuit. Ante Bethlehemum vallis Ephrata est, clade illâ *Vallis Ephra-*
mobilis, qua angelus Domini exercitum Assyriorum *ta.*
 maximum, centum nimirum octoginta quinq; homi- *4. Reg. 19.*
 num millia, unâ nocte internecione peremit. Ad dex- *Esat. 37.*
 tram propè Ramam, (quæ hodie pagus est de quo su-
 pra) Moschea stat sive fanum Turicum, ruinæ proxim-
 um, in quo lapidum est congeries formâ quadratâ, Monumentū
 altitudine staturam viri superans, superius in formam Rachelis.
 arcus terminata, quod Rachelis, uxoris Jacobi Patri- *Genes. 25, v.*
 archæ, monumentum esse dicunt. *19. 20.*

B E T H L E H E M.

Urbs ipsa Bethlehem super montem condita est,
 formâ oblongâ, hodiè tota ferè diruta & in pagum re-
 dacta. Propè eam cisterna illa est, cuius aquam ut o-
 mnium optimam, David contra Philistæos pugnans, *2. Reg. 23.*
 bibere exoptavit. Ab alterâ urbis parte versus Orien-
 tem templum est D. Mariæ, omnium totius Iudææ *Templū Ma-*
pulcherimum, & propter illud Cœnobium, quo loco *riæ omnium*
 olim domum Davidis stetisse memorant. Hoc tem- *pulcheri-*
plum olim totum marmore & stratum fuit & conta- *mum.*
 bulatum, quod hodièq; quinquaginta columnis mar-
 moreis fulcitum est, superius opere, ut vocant, Musivo

**Locus nati-
vitatis Chri-
sti.**

exornatū, plumboq; tectum. Longitudo ejus LXXIII. passuum est. In choro sub altari specus est portis ferreis clausus marmoreq; tectus, in quem X V I. gradibus marmoreis descenditur, quo loco Servator mundi in lucem editus fuit. In cœnobio propinquo templum est S. Catharinæ, in quo ædicula sive cella, ut vocant, est egregia, in qua D. Hieronymum habitasse dicunt. Ex eâ transitus est in templum S. Mariæ, & Sacellum Nativitatis Christi. Exinde etiam X X I I. gradibus, qui ma-

Monumenta ximam partem è rupe excisi sunt, ad monumentum Eusebii, Hie-
Eusebii &c. descenditur, quod è marmore exstructum est, tonymi &c. è cuius regione alia quoq; monumenta sunt, marmorea itidem, D. Hieronymi, S. Paulæ, & Eustachii. An-

**Sacellum pu-
erorum in-
nocentium.** te monumentum Eusebii facellum est puerorum innocentium, in quo sub altari specus est, in quo non nullos illorum sepultos esse dicunt.

**Locus præ-
sepii.
Lusus natu-
rae.**

**Magorum
cultus.**

Hinc per cuniculum è rupe excisum XXIV. passibus ad facellum Nativitatis transitur, cuius longitudo LXIV. cubitorum est, latitudo verò XXIV. intus marmore stratum est & contabulatum, superius verò ope re Musivo splendescit. In choro sub altari locus ille vi deri potest, ubi Christus natus fuit, quo de suprà. Hinc retrorsus spacio X X I V. cubitorum sub rupe quâdam locus præsepii est, ubi ad dextram in marmore imago viri barbati conspicitur, quam natura in venis lapidis tam distinctè effinxit, ut primo intuitu arte factam crederes. Incolæ effigiem S. Hieronymi esse credi volunt. Quicquid sit, opus certè est Naturæ admirandum pulchrumq; Similis naturæ lusus è regione quoq; est, forma nimirum fœminæ, quæ tamen minus per spicua est, quam illa viri ex opposito. Ibidem aliud quoq; altare est, ubi Magi infantem Christum cultu & mune-

muneribus honorarūt. Hinc ulterius pergentes illum locum vidimus, quo Christus octavo die circumcisus Circumcisio- fuit. His locis mirandam nativitatem Servatoris no- nis locus. stri accuratius apud animum meum reputans, fatear oportet, singularem animi motum lātitiamq; non pādōg au- vulgarem excitatam in me fuisse: ita enim est, ut Ma- toris. gnus ille Germaniae Doctor Philippus Melanchton ali- cubi scripsit, *Aspectione locorum quasi in rem præsentem venimus, & cogitatio in nobis excitatur, quā nos mente quasi sūstimus in eo cātu ac comitatu, qui secutus est Chri- stum, & fuit cātōm̄ illorum testimoniorum, quae in Palæ- stinā exhibita sunt.*

His visis XII. Febr. Bethlehemo discessimus versus Africum, ubi ad dextram pagum ingentem, Bolicolla Bolicolla sive Boticella nomine, transivimus, qui vinum profert Bezec. totius Iudææ optimum. Olim Bezec dictus fuit, qui locus ille est, ubi Saul populum lustrans, trecenta milia Reg. II. lia filiorum Israël, & triginta millia Iudæ numeravit, Hodie permulti habitant istic Christiani.

Hinc ad cœnobium S. Georgii venimus, quod in Cœnobium valle quādam situm est, in quo Græci Monachi de- S. Georgii. gunt. Tribus miliaribus Bethlehemo ad fontem si- Fons signa- gnatum sive conclusum delati sumus, qui è specu pro- tus Salomo- fundo exsiliens per rupem excavatam ad tres piscinas nis. fese extendit, indeq; per aqueductum Hierosolymas ducitur, ex quo Salomon olim hortos suos irrigavit. Cantic. 4. Hodie hortus ibi est malis punicis, chrysomelis, ficu- bus aliisq; id genus fructibus peramoenus, quem ho- dieq; hortum signatum Salomonis vocant. Non pro- Hortus fi- cul ab eo vallis est perangusta sed fructifera, quam gnatus Salo- montes horridi & infœundi ambiunt. Hinc retrò ad monis. pagum quendam Bethsabor accessimus, ubi villa est Bethsabor.

Villa pasto-
rum & tem-
plum SS. An-
gelorum.

Mons En-
geddi.
cap. 1. v. 13.

Mons The-
cue.
Amos 1.

Latebræ Da-
vidis.
1. Reg. 23.
seqq.
Segor.
Genes. 19.

Arabum hu-
manitas erga
peregrinos.
1. Reg. 25.

Vallis Bene-
dictionis.

pastorum, quibus angeli de cœlo nativitatem Christi nunciaverunt. In memoriam ejus templum exstrutum est, SS. Angelorum dictum, quod hodiè totum ferè dirutum est, ut vix parietinæ ejus supersint. Incolæ in his locis, qui rustici sunt austeri admodum & agrestes, neminem ad ullum ferè monumentum visendum admittunt, nisi pecuniâ prius probè demulceantur. Hinc Orientem versus pergentes, montem Engeddi conscendimus, undè Opobalsamum venit, de cuius vineis Salomon refert in Cantico. Hodiè ruderat tantummodo templi cuiusdam devastati supersunt. Mons sublimis est, tetricus, & cavernosus, in cuius speluncis hinc indè pastores cum pecoribus suis miserè admodum & barbarè vivunt.

Hinc alium montem Thecue adivimus, quæ patria fuit Prophetæ Amos, quem ibidem sepultum esse dicunt. Eduobus his montibus mare mortuum, Ziph, & Maon urbes, collis Hachila, ubi olim arx fuit munitissima ab Herode exstructa, mons Carmelus, aliaq; loca deserta visu obiri possunt, in quibus David furem Saulis fugiens cum comitatu suo aliquandiu latuit, & servatus fuit. Videri ibi quoq; potest terra Segor, ubi oppidum fuit Sodomorum ejusdem nominis, in quo Loth sospes evasit, cùm D E U S Sodomam & Gomorrah ultricibus flammis è cœlo perderet. In hac regione quibusdam in locis mos ille antiquus Iudæo-hodieq; apud Arabes obtinet, ut peregrinos adventantes pane, vino, uvis passis, ficubus, & id genus aliis munieribus donent, quam Virtutem in Abigaële, fœminâ prudentissimâ, erga Davidem ursurpatam sacræ paginæ commendant. Duobus istis montibus vallis Benedictionis interjacet, ubi Iosaphat ob victoriam ab Ammonitis

monitis & Moabitis reportatam, D eo laudes cecinit, *2. Paral. 20.*
ex quo locus ille nomen hoc accepit. *vers. 27.*

Eidibus Februarii Hierosolymam repetentes viâ inviâ per montes Iudææ & vallem Bezec ad locum illum adcessimus, ubi angelus Domini Iosephum dormientem de fugâ in Ægyptum certiorem reddidit. *Matth. 2.*

Hinc ad vallem Philippi venimus, ubi Apostolus Eu- Vallis Phili-
nuchum Reginæ Candaces in curru de fide in filium lippi.
D e i erudit, posteaq; in lacu propinquo, qui hodieq; *Actor. 8.* Lacus Phi-
lacus Philippi dicitur, baptizavit. Ulterius progressi lippi.
pagum quendam Bethir nomine ad sinistram montis Bethir.
vidimus, ubi olim urbs Siceleg sita fuit, quam Achis Urbs Siceleg.
Rex Gethorum Davidi concessit, cùm à Saule fugeret. *1. Reg. 27.*
Aliàs vallis ista etiam *Nehel E'scol*, hoc est, torrens bo- *Numer. 13.*
tri appellatur, à botro illo, quem Israëlitæ explorato-
res ibi decerptum vecte gestarunt, quæ regio fertilissi-
ma est.

Hinc ad desertum Johannis Baptistæ progressi su- Desertum
mus, intra montes situm, ubi spelunca est, è rupe exci- Johan. Ba-
sa, è qua unda scaturit limpidißima. Juxta eam par- ptistæ.
vum cœnobium exstructum est, in quo Eremitæ habi-
tare solent. Ex his montibus vallis Terebinthi videri
potest, & mons Suba sive Nobe, de quibus supra. Item
ædificium illud famosum Golia dictum à Goliatho
Philistæo, alias Bethoron, quam urbem Salomon repa- Bethoron.
ravit. Hinc in vallem quandam delati sumus, in qua *2. Paral. 8.*
rudera visuntur templi cuiusdam & cœnobii diruto-
rum, ubi B. Virginem cognatæ suæ Elisabethæ obviam Iter B. Virgi-
venisse, hymnoq; illo: *Magnificat anima mea &c. DEUM nis.*
celebrasse referunt, quo loco propter viam fons est *Luc. 1.*
per amœnum. Hinc non procul pagus quidam abest
Anikere nomine, ubi loco isti egregium templum in- Anikere.

- Domus Zachariæ.** ædificatum est, quo olim domum Zachariæ, patris Jo-
hannis Baptistæ, stetisse referunt. Paulò post turrim
Ædes Simeonis. quandam præterivimus, quam Simeonis illius senis
laudatissimi pientissimiq; ædem fuisse dicūt, qui Chri-
stum in templo in ulnas suas recepit, & hymno illo:
Nunc dimittis &c. Deo grates cecinit. Indè haut longo
intervallo cœnobium S. Crucis abest, quod Georgiani obtinent. Atq; sic tandem Hierosolymam reversi
sumus. In hoc itinere nonnullos Romanæ religionis
comites habuimus, qui omnia monumenta, ceremoniis
nescio quibus, deosculabantur atq; adorabant, quo
Æthiopes offenduntur idololatriâ Papistarum. more illorum incolæ Æthiopes vehementer admo-
dum offendebantur, adeò ut nos idololatras, canes, ho-
minum nomine, & quos terra portaret indignos, ma-
gno clamore appellarent.
- Reditus Hierosolym.** Postrid. Eius Februar. illa, quæ Hierosolymis vi-
denda supererant, cum duobus monachis, Ianissario
quodam, & interprete nostro perlustravimus, qui pri-
Domus Hannæ. mū ad domum Hannæ Pontificis nos ducebant, ad
cujus sinistram lapis anguli monstratur, quo loco mi-
nistrum Pontificis Christo alapam inflixisse dicunt.
- Porta ferrea.** Hinc ad portam ferream progressi sumus, cuius arcus
tantum supereft, propter quem vetera urbis mœnia
Domus Mariæ matris. exstructa fuere: hinc ad domum Mariæ, quæ mater fu-
it Johannis Marci, ad quam Petrus è carcere liberatus
Joh. Marci. primū accessit. Tandem multis admodum precibus
Actor. 12. ac donis, Arabisq; cujusdam officiosa intercessione à
Santonis, quos Turcæ pro religiosis habent, impetra-
vimus, ut nos in templum illud intromitterent, quod
Cœnaculum Christi. tempore Christi cœnaculum illud fuit, cuius tam mul-
ta in sacris literis mentio est. Alias enim, quia hodiè
Moschea est Turcarum, nemini Christiano introire
fas

fas est, nisi vel fidem in Christum abnegare velit, vel
 vitam miserabili suppicio perdere. Nos verò veniā,
 ut dixi, introeundi impetratā, sive emptā potius (mu-
 neribus enim fera Turcarum ingenia, nullis aliās re-
 mediis tractabilia, quasi unico mitigandi medio, ut
 sanguine hircino adamas, commoveri possunt) poste-
 ro die, qui X V. erat Februari. horā constitutā ad cœna-
 culum adcessimus. Antè autem, quām illuc venire-
 mus, in transitu domum Caiphæ vidimus, in cuius areā Domus Cai-
 arbor est procera, mala aurantia ferens, quo loco Pe-pha.
 trus à ministris cognitus, Dominum abnegavit. Hinc
 ad ipsum cœnaculum accessimus, quod in monte Sion
 extra urbem, propè portam situm est. Olim verò, ut
 suprà dictum, mons iste intra mœnia urbis fuit. Cœna-
 culum ipsum templum hodiè est sive fanum potius,
 pulchrum admodum & egregium, plumbo tectum.
 Propter illud cœnobium est, in quo olim monachi
 Franciscani habitarunt: hodie Turcæ utrumq; possi-
 dent, qui templum unā cum cœnobio ob sepulchrum
 Davidis, quod ibi est, vi rapuerunt. Prius autem quām
 nos introducerent, pro more solito calceos exuere ju-
 beant, quo facto in chorum templi ducti sumus, qui
 proprio muro à reliquā templi parte separatus est, &
 columnis elegantibus ornatus, formā quadrangulari
 exstructus. Hic locus ille est, in quo Servator noster Ultima cœ-
 agnūm paschalem cum discipulis suis ultimū come- na Christi.
 dens, Sacram Cœnam instituit, & postquām pedes il-
 lorum lavit, concessionem istam valedictoriam, conso-
 latione & doctrinā abundantissimam ad illos habuit,
 quam D. Johannes Evangelista tam diligenter annota- cap. 13. &
 vit. Ibidem etiam discipulos Christi congregatos fuīs- seqq.
 se dicunt, cùm Christus januis clausis primū à resur- Ioh. 20.
 rectione

*Autor. 1.**Autor. 2.*

rectione suâ ad eos venit : deinde iterum, cùm post ascensionem ipsius Matthiam in locum Iudæ Iscariotis surrogarent; & tandem etiam, cùm in festo Pentecostes Spiritum Sanctum singulari miraculo accepere, quæ omnia non vulgarem reverentiam loco isti adferrunt. Ad sinistram cœnaculi sub Choro templi in specum quendam descendimus, magnum satis & forniciatum : inde angusto transitu, quem cancelli lignei ambunt, ad arcum quendam venimus versus sinistram, in quo monumētum est longum valdè altumq;, quod totum è rupe excisum est, cum operculo itidem lapideo, egregio admodum artificio elaboratum, tantæq; magnitudinis, quantæ antehac nullum unquam

Sepulchrum vidi. Sub eo David, Salomon, aliiq; reges Iudæ sepul-
*Davidis & a-*ti sunt, quod Turcis in summo honore est. Sacellum
*liorum Re-*totum tapetibus Turcicis stratum est, ipsum verò mo-
*gum Iudæ.*numentum serico Damasceno viridi tectum, circa
 quod lampades plurimæ dependent. De hoc sepul-
 chro Davidis illud memorabile est, quod, ut est apud

lib. 7. antiqu. Iosephum, filius ipsius Salomon, præter alia in Regum
Jud. c. ult. & funeribus solemnia, ingentem admodum vim pecu-
lib. 1. bell. niæ intulit, de quâ mille & trecentis annis pòst, Hirca-
*Ind. c. 2.*nus Pontifex, cùm ab Antiocho Pio Demetrii filio op-
 pugnaretur, tribus talentorum millibus desumtis, ho-
 stis obsidionem solvit. Ex eodem sepulchro CXVIII.

Ioseph. lib. 16. annis pòst, Herodes Hircanum imitaturus, multa au-
antiq. Jud. rea aliaq; ornamenta abstulit: ulterius verò ad condi-
cap. 11. toria, in quibus Davidis & Salomonis corpora sita e-
 rant, progressus, flammâ indè erumpente, quæ duos ex satellitibus ipsius exanimaverat, ab incepto deterri-
 tus fuit, statimq; placandi numinis gratiâ monumen-
 tum albo lapide, in ostio sepulchri magnis sumtibus
 exstruxit.

exstruxit. Sunt & alia in hoc cœnaculo sepulchralitera-
gia, egregia omnia visuq; dignissima.

His visis, vesperi ego & SCHULENBURGIUS, cum duo- Iter ad cœ-
bus fratrib⁹ Baieris, ad monachos Græcos adcessimus, nobium S.
qui alias vocantur Calogeri sancti Georgii, & ut vestes
suas nobis commodarent, rogavimus, ut sic in itinere
malè tuto Arabum insidias fallere, & securè ad Iorda-
nem abire possemus; qui petitioni nostræ lubentes an-
nuère. Horum vestibüs pannosis induti, paneq;, vino,
uvis passis, ficubis, caseoq; assumtis, cum quatuor mo-
nachis viæ gnaris, per plateas obscuriores juxta mœnia
urbis, per portam castelli egressi sumus, singuli bacu-
lum gestantes, more monachis solemni. Hinc versus
occasum juxta piscinam magnam & pedes montis Si-
on per vallem Iosaphat progressi sumus: inde noctu
(die enim illac iter facere propter Arabum latrocinia
tutum non est) viâ lapidofâ & inviâ montes aliquot
conscendimus, donec mediâ nocte ad cœnobium S.
Sabæ pervenimus, quod monachi Georgiani obtinens,
qui omnia humanitatis officia, quæ pro loci conditio-
ne licebat, nobis exhibebant.

XVI. Februar. ipsum cœnobium perlustravimus, Cœnوبium
quod in deserto ad montem præruptum, saxosum, S. Sabæ.
atq; cavernosum, loco naturâ munitissimo, situm est,
Hierosolymam inter & mare rubrum. Ad dexteram
torrens Cedron frequentibus pluviis auctus præterflu- Torrens
it, qui Hierosolymis per vallem Iosaphat & loca deser- Cedron.
ta erumpens, tandem in mare mortuum evolvitur.
Alveus hujus torrentis nonnullis locis deserti peran-
gustus est, utrinq; excelsis admodum montibus, quasi
mœnibus inclusus, in quibus specus & cavernæ pluri-
mæ, facella item & cœobia collapsa atq; diruta hor-

rorem transeuntibus incutiunt. Primarium cœnobium in deserto isto omni tempore illud S. Sabæ fuit, quod præter naturæ, ut dixi, munimenta, muro insuper validissimo cinctum est, utrinq; rupi contiguo. Prætereà ab una parte montem habet præcipitem & inaccessum, ab alterâ verò in supremo rupis turrim quadratam, crassam admodum validamq; , quæ è regione templi majoris exstructa, toti cœnobio præsidio est fortissimo. Ex eâ ad loca remotissima, desertum versus & mare rubrum, montesq; Seir prospicitur. Neq; verò frustrâ cœnobium istud tam probè munitum est. Quotidiè enim Arabes prædones catervatim adventant, & eleemosynam petunt, quod sanè pessimum juxta atq; pauperrimum hominum genus est, qui montium speluncas incolunt, herbarumq; vietu miserrimo, ferarum more vicitant. Templum cœnobii magnum sat is est pulchrumq; , in quo monachi Græci, qui maximam partem suam duntaxat linguam callent, & cum peregrinis per interpretem loquuntur, diligenter die noctuq; , singulari cum devotione, cultui divino vacant.

Templum
cœnobii.

DE GRÆCORUM RE- LIGIONE.

Ritus cœnæ
Dominicæ.

Eorum Religio, ut & in communi omnium Græcorum sive Georgianorum, à Latinorum sive Pontificiorum cultu ac ceremoniis plurimum differt. Nam Sacram Cœnam secundum institutionem Auctoris sub utrâq; , ut vocant, specie administrant, ceremoniis laudatissimis pariter atq; antiquissimis. Primùm enim recitatis verbis institutionis, singuli communicantes in Ecclesiâ ad sacerdotem accedunt, & frustum panis fermentati,

mentati, quem quisq; pro modo facultatum prius at-
tulit, è cophino accipiunt, atq; sic ad pristinam sedem
revertuntur. Deinde alius quidam cum cophino ad
singulos sedentes accedens, panem in certas magnasq;
portiones divisum distribuit. Hunc alius sequitur cum
lagenâ & phialâ argenteâ, è qua singulis bibendum
porrigitur. Hic actus dum absolvitur, reliqui hymnos
canunt, & ad D E U M preces fundunt. Atq; hunc mo-
rem ab ipsis Apostolis derivatum credunt, qui sanè De Agapis
Pietatem antiquam, veterisq; Ecclesiæ Simplicitatem Christiano-
rum. repræsentare mihi visus est. Convenit enim planè cum

azanus a) istis sive conviviis primorum Christiano-
rum, quæ cum administratione Cœnæ Dominicæ pau- a) Epift. Ind.
peribus refocillandis exhibebantur, b) cuius moris lau- vers. 12.
datissimi non obscura vestigia in Apostolorum literis b) Erasm. in
deprehendimus. c) Inprimis verò de Agapis istis præ- Iud.
clarè Tertullianus: d) Cœna, inquit, nostra de nomine ra- c) d. Epift. Ind.
tionem suam ostendit. Vocatur *azan*, id quod Dilectio penes & 1. Cor. 11.
Gracos est. Quantiscung^s, sumptibus constet, lucrum est pietà ubi Erasm. in
tis nomine facere sumptum: siquidem inopes quosq; refrigerio not. ad d. loc.
isto juvamus, non quâ penes vos (gentes) parasiti affectant 2. v. 42. 46.
ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris d) in apologet.
inter contumelias saginandi, sed qua penes D E U M major cap. 39: me-
est contemplatio mediocrium. Nihil utilitatis nisi modestie minis etiam
admittit. Non prius discubitur, quam oratio ad D E U M convivio-
prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt, bibitur Plinius in no-
quantum pudicis est utile, ita saturantur, ut qui memine- tabili illa e-
rint etiam per noctem adorandum D E U M sibi esse, ita fabu- pist. 97. lib. 10.
lantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manu- add. Hospi-
alem & lumina, ut quisq; de scripturis sanctis, vel de pro- nian. histor.
prio ingenio potest, provocatur in medium D E O canere: hinc sacram. lib. 1.
K. 2 proba- cap. 6. & lib.
z. cap. 9.

probatur quomodo biberit : aequè oratio convivium dirimit

*Quem allegat &c. Et Pontius Paulinus in lib. de Gazophylacio docet,
B. Rhenan. mensam in Ecclesiâ poni solitam, pro pauperibus cibo
in not. ad lib. reficiendis, quam etiam Domini mensam vocat, & à
Tertull. de Domino positam, adhortans ditiores, ut egentibus de
coron. mil. suo libenter impertiant. Notabile etiam est, quod in*

*Gratian. in c. Laodicensi concilio omnes istos, qui Agapas ejusmo-
si quis 1. di-
stinct. 42. di-
scensit. 42.* di-
scensit. 42.
*mensam in Ecclesiâ poni solitam, pro pauperibus cibo
reficiendis, quam etiam Domini mensam vocat, & à
Domino positam, adhortans ditiores, ut egentibus de
suo libenter impertiant. Notabile etiam est, quod in*
*Gratian. in c. Laodicensi concilio omnes istos, qui Agapas ejusmo-
di despiciunt aut parvipendunt, anathemate feriendos
esse statutum fuit. Hæc, inquam, Græcorum istorum,
quos dixi, observatio τῶν ἀγαπῶν, quam ab Apostolo-
rum temporibus hodieq; tenent, pia admodum lauda-
bilisq; mihi visa est. Præterea nullas habent imagines
sculptas, sed picturas tantum, easq; paucas. Aquæ eti-
am benedictæ apud illos nullus usus est, neq; purgato-
rium credunt : sacerdotibus suis uxores ducere per-
mittunt, sed semel tantum, secundas nuptias personis
sanctis parum honestas judicantes. Sanctitati vitæ, in
primis vero Temperantiae religiosè student, & quater
in anno jejunia indicunt, quo tempore nec piscium
carnibus, sed ovis, caseo, lacte q; vescuntur. Patriarchas
habent quatuor, *Constantinopolitanum*, qui Europæis
Ecclesiis præest, *Antiochenum*, qui monasteria & Ec-
clesias curat Beryti, Tripolis, Halebi, aliisq; Asiae locis,
Alexandrinum, qui Ecclesiis præest in Ægypto & Ara-
biâ, sedemq; Memphi sive Cairi habet, & *Hierosolymitanum*, qui monasteriorum per Syriam dispersorum
curam gerit, & quotannis XV. Augusti in monasterio
Libani montis sacra peragit. Pontificem Romanum
caput Ecclesiæ esse pernegant, neq; potestatem illius
absolutam, quam vocant, agnoscent. Festum Pascha-
tis pro primo habent, & singulari cum pietate ac reli-
gione celebrant. Tam multos etiam ac differentes re-
ligiosorum*

Patriarchæ
quatuor.

ligiosorum ordines non habent, sed unicum duntaxat, *Vid. Hospit.*
 cuius auctorem D. Basiliū laudant, unde & unum i- *nian. de orig.*
 demq; omnibus nomen *Calogeri*, quo etiam fœminas *monach. lib.*
 moniales indigitant. Neq; reditus habent tam lautos *3. cap. 3.*
 ut nostri Pontificiū monachi in Europā, sed miserè ad-
 modum & austèrè vivunt. Musicam quoq; artem non *Musica Græ-*
co, quo nos, modo discunt. Nam non secundum no- *corum*.
 tas, ut nos solemus, canunt, sed lineas habent certis cha-
 racteribus formā Hebraicarū literarum notatas, quos
 characteres ille, qui Cantoris officio fungitur, digito
 monstrat.

Hoc cœnobio ad votum perlustrato XVI. Februari. Iter ad Ior-
 vesperi cum eunicho quodam sene, qui linguam Ara- danem.
 bicam probè callebat, & ex parte quoq; Italicam, & a-
 lio quodam monacho viæ gnaro, iter Iordanem ver-
 sus ingressi sumus, eodem habitu monachali, quem
 fratres Franciscani Hierosolymis commodato nobis
 dederant. Iamq; media nox erat cùm in deserto ober-
 rantes, justo citius nos egressos suspicabamur, quod ve-
 rum erat. Quapropter commorantes paulisper per
 horam humi condormimus. Postea verò reliquum
 noctis itiner emensi, cùm jam dies illucesceret, è lon-
 ginquo mare mortuum prospeximus, ex quo cogno-
 vimus, longè nos à viâ rectâ ad dextram versus montes
 aberrasse. Quia verò ad sinistram propter objacentes
 rupes declinare, & in viam redire nefas erat, rectâ ad
 mare mortuum progressi sumus, ad quod tandem per
 saxa prærupta non citra vitæ discrimin pervenimus.
 Et certè non absurdè à quibusdam dictum est, per de-
 ferti hujus abdita iter facientibus ad Cynosuram, æquè
 atq; in mari nautis, respiciendum esse. Hinc ad planiti-
 em illam perreximus, quæ montes inter & mare mor-

Sodoma & tuum sita est, ubi ante ultionem divinam Sodoma &
Gomorra florueré: olim vallis sylvestris dicta fuit, pu-
Genes. 14. teis bituminis scatens, quod hodieq; ibi reperitur.
Hæc terra ante ignem delapsum cœlo amœna admo-
Gen. 13. v. 10. dum frugiferaq; fuit, quam Iordanis, ut Ægyptum Ni-
lus, irrigavit, Paradiso olim comparata. Hodie ne tan-
tillum graminis superest, sed spinæ atræ, eæq; perraræ.
Vid. Sapient. Aër foetidus est & humidissimus, terraq; in meram sal-
10. v. 6. 7. fuginem conversa. Ejus descriptionem, ut omnium
lib. 5. Histor. optimam, ex C. Tacito huc apponere lubet: *Haut pro-*
cul inde, inquit, (*à lacu Asphaltite sive mari mortuo*)
-sol hab. 1. campi (sunt) *quos ferunt olim uberes magnisq; urbibus ha-*
-mores ab *bitatos, fulminum jactu arsisse, & manere vestigia, terramq;*
specie torridam vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta
spontè edita aut manus sata, sive herbæ tenuis aut flare, seu
solitam in speciem adolevère, atra & inania velut in cine-
lib. 5. cap. 5. *rem vanescunt &c.* Meminit etiam Fl. Josephus de bello
Jud.

MARE MORTUUM.

De mari verò mortuo notandum est, quod in sacrâ
a) cap. 14. v. 3. Genesi a) mare salis, & in historiâ Iosuæ b) mare falsis-
b) cap. 18. v. 9. simum appellatur. In eo nos manus lavantes, saporem
ejus foetidum admodum cæterisq; falsiorem depre-
Lacus Af- hendimus. Alias vocatur lacus Asphaltites, hoc est, bi-
phalites.

In eo nos manus lavantes, saporem ejus foetidum admodum cæterisq; falsiorem deprehendimus. Alias vocatur lacus Asphaltites, hoc est, bituminis, cuius magnam copiam egerit, quod gluten Iudaicum appellatur, & in Medicinâ usum habet. Ma-
re mortuum autem dicitur, propter immobilitatem
lib. 36. Histor. aquæ, teste Iustino. Nam neq; ventis, ut est apud eun-
dem auctorem, movetur, resistente turbinibus bitumi-
ne, quo aqua omnis stagnatur, neq; navigationis pati-
ens est, quoniam omnia vitâ carentia in profundum
mergun-

merguntur, nec materiam ullam sustinet, nisi quæ a-
lumine illinatur. De hac naturâ ejus admirandâ ita
Corn. Tacitus: *Lacus, inquit, immenso ambitu specie ma-* lib. 5. Histor.
ris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neq;
vento impellitur, neq; pisces aut suetas aquis volucres pati-
tur. Incertæ undæ superjecta ut solido feruntur, periti im-
peritiq; nandi perinde attolluntur. Certo anni bitumen ege-
rit, cuius legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit
&c. Meminit etiam Plinius, a) qui in eo tauros, Came- a) lib. 5. c. 16.
losq; fluitare scribit: & memorabile est, quod Iosephus
b) de Vespasiano refert, eum, cum hujus lacus visendi b) lib. 5. bell.
causa illuc venisset, quosdam natandi inscios, vincitis *Iud. c. 5.*
post terga manibus, in altum proiici jussisse, & evenisse
ut omnes tanquam vi spiritus sursum repulsi desuper
fluitârint. Longitudo ejus, ut est apud eundem Iosephum, quingentorum & octoginta stadiorum est, lati-
tudo verò centum quinquaginta: Plinius verò longi- Sup. d. loco.
tudine centum millia passuum excedere scribit, laticu-
dine maximâ viginti quinq;, minimâ sex. Atq; hæc
vestigia sunt iræ divinæ, quam nefanda mortalium sce- Vid. Genes.
lera adeò irritârunt. Sodomis enim deletis, lacus iste, 14. & 19.
ut Iosephus refert, repente extitit. Porrò eodem loco lib. 1. antiqu.
torrentem Arnon vidimus, qui de montibus Arabiæ *Iud. c. 10.*
per totam solitudinem labens in Asphaltitem erum- Torrens Ar-
pit, quo loco Balac rex Moabitartim Bileamo vati ob- non.
viam venit, & ut Israëlitas diris devoveret rogavit, præ- Numer. 22.
miisq; illexit.

XVII. Februar. manè ad aream Atadi adcessimus, Area Atadi.
ubi Iosephus & fratres exequias patris sui planctu se- Genes. 50.
ptem dierum prosequuti sunt, unde locus iste Abel Abel Mitz-
Mitzraim, hoc est, planctus Ægyptiorum dictus fuit. raim.
Aliâs etiam vocatur Beth-hagla, quod idem est atq; lo- Beth-hagla.
cus

cus gyri, à more quem lugentes circumeundo obser-
vârunt. Hodiè rudera sunt cœnobii & facelli diruto-
rum, quæ olim S. Hieronymo sacra fuere.

Mons in quo Hinc ad Iordanem pergentes montem vidimus
Christus ten- sublimem & saxosum, in quo Servatorem nostrum à
tatus. *Matth.* Satanâ tentatum fuisse dicunt. Paulò post rudera vi-
4. Luc. 3. dimus Hierichuntis, quæ urbs olim fuit opulentissima,
Rudera Hie- palmetis consita, & ideo à Mose urbs Palmarum dicta.
richuntis. *Deut. 34. v. 3.* Sita fuit ad montes loco parumper elato. De eâ multa
Ios. cap. 6. in sacris literis, in primis verò in Historiâ Iosuæ, qui
eam miraculosè cepit. Hinc non procul hortos illos
Fontes Eli- vidimus camposq; frugiferos, quos fontes Elisei irri-
fai. gârunt, qui Vates in urbe Hiericho habitavit, aquasq;
4. Reg. 2. istius loci pestiferas salubres reddidit.

J O R D A N I S.

Ibidem. Ibidem ille quoq; monstratur locus, ubi Elias pal-
Matth. 3. lio suo aquas Iordanis divisit, & cum Eliseo sicco pede
transivit: item ubi curru igneo in coelum deportatus
fuit: tandemq; ille, ubi Servator humani generis à Jo-
hanne baptizatus, & miraculo singulari Dei filius de-
claratus fuit, in cuius memoriam hodieq; facellum ex-
stat D. Johanni Baptista sacrum. Cæterum in his locis
lib. 5. histor. omnibus ripa Iordanis mirâ amoenitate utrinq; arbo-
ribus frugiferis collucet: aliâs regio ipsa horrida est &
inculta. Ac de ipso Iordanе illud memorabile est,
lib. 3. cap. 26. quod, ut est apud Tacitum, pelago, ut alii fluvii, non ac-
cipitur, sed unum atq; alterum lacum integrum per-
Lipf. add. loc. pus. fluit, tertio verò retinetur; cum quo consentit Egesip-
Taciti. quos tamen minus rectè sentire viri docti censem. De
lib. bell. Ind. origine ejus ita Josephus: Cum Iordanis, inquit, princi-
cap. 18. piuum

pium nesciretur, à Tetrarchâ quondam Trachonitidis Phi- cum quo con-
lippo deprehensum est. Is namq; missis in Phialen (urbs est sentit Plin.
qua Trachonitidem ascenditur ad CXX. stadi. à Cæsareâ) lib. 5. cap. 15.
paleis, invenit eas apud Panium redditas, undè antè fluvius
nasci credebatur. D. Hieronymus eum ex duobus fon-
tibus haud procul à se dissitis, quorum alter Ior dicitur,
alter Dan, bicornem erumpere scribit. Verūm de sca-
turgine Iordanis infra aliquid ut testis oculatus refe-
ram.

C A P T I V I T A S.

His locis circa Iordanem & Hierichunta pro voto
perlustratis, ante discessum animos assumtis cibis refi-
cere instituimus; quo facto idem nobis evénit, quod
Servator noster de illo refert, qui hoc loco, Hierosoly- *Luc. 10.*
mam inter & Hierichunta, in latronum manus incidit.
Fuit enim tractus iste ob montium speluncas rupiumq;
diverticula omni tempore latronibus infestissimus,
quod etiam ex Josepho liquet, ubi de singulari illâ He- *ib. 14. antiqu.*
rodis pugnâ contra latrones in regione istâ narrat. *Iud. cap. 27.*
Cum igitur vix humi consedimus, ecce subito quatuor
Arabes armati è virgultis profiliunt, & ad nos rectâ
contendunt. Latrones esse facile conjiciebamus: quia
tamē nos habitu monachali induiti eramus & inermes,
adventum illorum non adeò formidabamus, quippe
viatores vacui, qui etiam, ut est apud Poëtam, coram
latrone cantare possunt. Quapropter proprius ad nos
accidentibus panem aliaq; offerimus, & ad comedendū
unâ invitamus, ad quod illi haud multis precibus
commovebantur. Verūm de cibis nostris repleti, Libe-
ralitate nostrâ insuper habitâ, ex hospitibus in hostes
mutantur, manuq; violentâ nos invadunt, & num pe-

L cuniam

cuniam, vel vestes preciosas sub cucullis haberemus, mortem minantes, inquirunt. Nos apud monachos hæc inveniri negantes, vestibus per vim exuimus, ubi illi subuculas nostras candidas & femoralia linea reperientes, quibus ego, SCHULENBURGIUS, & duo fratres Baieri præ reliquis duobus monachis, sociis nostris, induiti eramus, nos quatuor fucatos monachos esse clamant, statimq; illis detractis, cibi nostri residuum assumunt, utres vino vacuatos aquâ replent, illisq; humeros nostros, additâ lignorum strue, onerant, & sic captivos nos abducunt in desertum, Arabiam versus, ut Medinæ nos venderent. Viri erant robusti, vultu truculento & horribili, singuli arcu, pharetrâ spiculis refertâ, pugione peracuto, & clavâ ligneâ probè armati: nos contrâ armis omnibus adeò destituti, ut ne cultellum quidem haberemus ad scindendum panem. Sarcinis insuetis onerati, & ad arbitrium alterius eentes, libertatem amissam, bonum verè nullo precio nummario æstimandum, miseri servi ingenti cum mœrore animi dolemus. Volunrati divinæ tamen nos submittentes humiliter, opemq; è cœlo gemitibus implorantes, ductores nostros sequimur, qui per planiciem Hie-richuntis, versus mare mortuum in montem excelsum è regione Iordanis nos ducebant, quo loco rigidè admodum pecuniam efflagitabant, vel mortem minabantur crudelissimam. Nos λύτρον è cœnobio S. Sabæ pollicebamur, quod illi tamen, vel sanguinem præ nummis sitientes, vel majus pretium sperantes ex venditione, respuebant, semper vel cruentam mortem, vel servitutem æternam nobis comminantes. Et quia quatuor eramus, quos illi ex indusiis factos monachos cognoverant, incerti erant, singuliné (nam & ipsi quatuor

tuor erant) unum è nobis proprium sibi adsumerent, quem postea quilibet pro libitu vel venderet, vel occideret: an verò omnes simul retinerent, & lucro æquali Medinæ venderent. Sententiis verò dissidentes, unus illorum captivo suo Johanni Baiero pugionem ad peccatum admovet, in lucrum æquale consentire nolens, cuius tamen conatum reliqui impediabant, contendentes prædam integrum servandam esse, & pretium in portiones æquabiles partiendum, quorum etiam sententia post multa tandem jurgia obtinuit. Sic verò hostium discordiâ servati, ulterius progredimur ad vesperum usq; ubi illi, quia siti premebamur, in montium cavernis aquam è pluviis collectam quærere nos compellebant: cùm verò parùm in speluncis istis reperiremus, ad alium nos ducebant locum, ubi terram fodere, & aquam lutosam lacti similem haurire nos cogebant. Hinc vesperi postquam parùm cibi unà sumere jussissent, quò vires ad progrediendum reficeremus, per loca invia in desertum nos abducunt, ubi semper unus illorum sagittis nervo aptatis nos sequebatur, arcuq; intensò ut pecora agebat. Sæpè etiam, quò minus aufugere possemus, se nobis plantas pedum exentiatiros minabantur. Nos spem inter exiguum metumq; maximum progredientes, ut D E u s aliquis ex machinâ nos respiciat, flebili suspirio vovemus, tandemq; à nocte obruimur gelidâ & caliginosâ; ubi illi excitato igne, cuius præsidio cum nocturno frigore contenderemus, de farinâ nostrâ residuâ placentam coquebant, quam comedentes subinde vel de λύτρῳ, Transactio vel de servitute, mortevè, prout illis visum foret, voci- cum latroni- ferabantur, idq; tam diu, donec tandem dimittere nos bus de λύ- promiserint, si viginti ducatos aureos, singulisq; tuni- τρῳ.

L 2 cam,

cam, cingulum, par calceorum, & mitram è cœnobio S. Sabæ persolveremus : id quod nos facturos recepi-
mus. Hoc pacto utrinq; inito, nos quatuor noctem du-
cimus insomnem : altero verò manè, qui dies XVIII.
erat Februari. cùm vix aurora illuxisset, relictis duobus
Arabibus nobiscum in deserto, reliqui duo cum altero
monacho nostro ad Cœnobium S. Sabæ, pacti solutio-
nem repetitum abeunt : qui cùm ad Cœnobium per-
venissent, monachus duobus Arabibus ante portam
præstolari jussis, solus ingreditur, remq; fratribus suis
nunçiat, qui unanimi cōsensu promissum redemptio-
nis pretium nequaquam persolvendum esse, non absq;
ratione statuebant. Præterquam enim quod metue-
bant, ne Arabes hoc in exemplum traherent, vereban-
tur insuper, ne accepto etiam λύτρῳ nihilominus ta-
men, pro suetâ latronibus perfidiâ, Medinam nos ve-
num abducerent. Ne nimium tamen præstolantes ir-
ritarent, ducato aureo fructibusq; aliquot liberaliter
illos donant, atq; sic in commodum nostrum moras
necltere faciunt. Intereà temporis dum illi duo abe-
rant, & ad cœnobium expectant, nos quatuor, inermes
licet, de reliquis duobus, qui nobiscum manserant, &
jam mitius nos tractabant, intrepidè aggrediendis co-
gitamus : tandemq; ita inter nos convénit, ut ego &
SCHULENBURGIUS alterum, alterum verò duo fra-
tres Bajeri simul adorirentur, & sic nos ipsi è turpi ser-
vitute vindicaremus, vel mortem oppeteremus hone-
stam. Re sic deliberatâ occasionem aucupamur, quam
ego primùm natus, quasi aliud agens, medium me
duos inter Arabes intrudo, moxq; cum clamore ad
posteriorem me verto, & prehenso illius collo SCHU-
LENBURGIUM in auxilium voco, qui à tergo hostem
aggressus

**Deliberatio
de invadēdis
latronibus.**

**Pugna cum
latronibus.**

aggressus brachia resistentis detinebat. Verum uterque
 primo statim insultu sagittis istis, quas ille sub cingulo
 percutas gestabat, non parum laesi sumus, manu ego
 dextrâ, & SCHULENBURGIUS brachio. Nihilominus
 tamen fauciati licet, tam diu cum hoste colluctamur,
 donec tandem omnes tres simul in terram concidimus,
 quo lapsu Arabs medius inter utrumque jacens, me inferiorem
 pectore, SCHULENBURGUM verò superiorem
 dextro crure pugione graviter admodum & periculose
 vulnerat. Humi verò jacentes tamdiu iterum colluctamur,
 donec tandem divinâ ope hoste superiores evadimus, eumque; infra pedes nostros redigimus: cuius
 caput posteâ ingenti arrepto lapide adeò contudimus,
 ut illum viribus omnibus destitutum, tandem de monte sublimi & saxoso nullo negocio dejecerimus. Interreâ duo fratres Bajeri suum quoque; hostem invaserant,
 qui insperatâ captivorum pugnâ perturbatus, relicto
 arcu statim aufugit: mox tamen inopinatò se vertens,
 Johannem Bajerum pugione fauciatur à tergo, denuoque;
 fugiens lapidibus tam strenue contra nos omnes pugnat, ut nisi alterius devicti pugio nobis remansisset,
 vix tandem pertinaciam hominis superare potuissimus.
 Sed ille defatigatus tandem & inferiorem se videns, in
 desertum horrendo cum clamore refugit, quasi Fau-
 nos omnes Satyrosque; contra nos in auxilium excitatus.
 Nos verò animo consternati, timentes ne ille mu- Fuga:
 gitu suo, quo totum desertum circumsonabat, alios
 Arabos excitaret, pedum celeritate cervorum instar, Horat. lib. i.
 cum in parte vallis alterâ visum lupum, graminis im- carm. od. 15.
 memores, sublimi fugiunt anhelitu, successuro peri-
 culo nos subtrahimus, inquit; alteram deserti partem au-
 fugimus. Verum per ignota montium juga dispalan-

tes, nullumq; in non præmeditatâ fugâ servantes ordinem, ab invicem separamur; qua acerbâ distractione ego cum altero monacho interprete nostro, qui nobiscum remanserat, circa meridiem ad cœnobium S. Sabæ pervenio, è quo fratres à longè nos videntes statim posteriori parte (anterius enim alteri duo Arabes pro λύτρῳ alegati adhuc morabantur) scalâ è funibus clâm nos ad se recipiunt. Fratres verò Bajeri in speluncâ quâdam ad Solis usq; occasum latentes, noctu Hierosolymam versus tantâ cum celeritate aufugere, ut altero manè ante Solis ortum ad portas urbis expectârint. Solus SCHULENBURGIUS, cujus separationem tam acerbè ferebam, ex cruris vulnera fugæ impar, in deserto ad noctem usq; remanserat. Nocte verò sequenti trepidis erroribus per horrendam solitudinem consumtâ, manè venit ad mare mortuum, ubi quâd longè à viâ Hierosolymitanâ aberrârit cognoscens, peccatus laxat gemitibus, vanosq; nocturni itineris labores lacrymis ulciscitur. Sibi tamen redditus in desertum revertit, Hierosolymam tandem se venturum sperans. Verùm miserabili locorum imperitiâ totum diem nequicquam iterum oberrat, tamq; intolerabili affligitur siti, ut eam propriâ urinâ restinguere coactus fuerit. Interea temporis ego sociorum, in primis verò Pyladis mei fidelissimi SCHULENBURGI infelicem absentiam ægerrimè ferens, præfectum cœnobii exoro, ut quinq; ex fratribus suis robustiores sclopetis arcibusq; armatos in desertum emittat, si forsitan erroribus periclitantium subvenire, eosq; in viam reducere possent. Sed illi incasum ad vesperum usq; quæsivere: ante reditum tamen Arabi cuidam, homini non malo, qui ex pecorum pastu in deserti speluncis vitam trahebat,

*Sic Homerus
τὸς ἥρωας
lacrumas fu-
disse refert.*

bat, hanc curam demandant, ut si quem forsan peregrinum offenderet, ad coenobitum reduceret: id quod haud infeliciter cessit. Cum enim SCHULENBURGIUS alterum diem iisdem erroribus perdidisset, tandem paulò ante Solis occasum in rupem venit excavatam, ad pastorem illum mandatarium, qui capras suas pasciebat, ad quem accedens haustum aquæ postulat. Pastor è vestitu illum vulnereq; agnoscens, statim lac hœdignum porrigit, panemq; & alia apponit, vulnera etiam, quantum potest, de novo obligat, & tandem asino impositum tertią horā post, quām Sol occiderat, ad cœnobium nostrum adducit. Heic quanto gaudio nos alter alterum exceperimus, eandem fortunam expertis citius animo concipere, quām verbis mihi enarrare fas erit. Certè animos bidui absentiā, veluti diuturnā fame marcentes, mutuis amplexibus, & luctantibus perspiraria verbis, non perfunctoriè explevimus. Vehementer etiam nobiscum lætabantur monachi omnes, quorum pars novi hospitis pedes lavabant, pars vulnera curabant, pars cibos, quos licebat, apponebant optimos. Altero die manè, qui XX. erat Februar. literas accepimus à fratribus Baieris, qui tutò se Hierosolymam rediisse narrabant, insuper vicarii in cœnobio Franciscanorum chirurgiæ peritiam laudantes, cuius operâ in curandis vulneribus commode uterentur: quo nuncio nos de novo exhilarati, statim sequenti die post medium noctem, cum præfecto Cœnobii S. Sabæ, & alio quodam monachorum, in viam nos coniicimus, alteroq; manè urbem Hierosolymorum ingredimur: ubi postea in pristino Franciscanorum diversorio benè nobis fuit. Sic verò extra discriminem positi, comitibus nostris è cœnobio S. Sabæ pro acceptis benevolentiae

lentiæ officiis, & quia periculum sibi imminere dicebant, si res de ocoiso Arabe ad Sangiacum Hierosolymitanum deferretur, XX V. persolvimus ducatos aureos, & sic ad Cœnobium suum remisimus.

Emmaus. Post hunc casum curatis corporibus XXIV. Februari. ad vicum Emmauntem, qui XII. milliaribus Italicis Hierosolymis abest, per loca montosa profecti sumus, ubi mediâ viâ propter collem vidimus rudera Saccelli, quod loco isti inaedificatum fuit, quo Christus viatoris specie duobus discipulis, Dominicâ Resurrectionis illuc exspatiantibus, se adjunxit. Emmaus hodie pagus est exiguus admodum, quem, ut est apud Josephum, milites olim jussu Vari in vindictam cæforum ibi militum incendere. Ulterius paulò progressi causa Neapolis cœstrum vidimus, olim Neapolim dictum, quod Romanos captis Hierosolymis exstruxisse, muroq; cuius rudera hodieq; supersunt, cinxisse memorant. Haud longo abhinc intervallo templum dirutum est, ubi divisorium stetit, in quo Christus fractione panis à duabus discipulis cognitus fuit. Hinc in montem Silo, qui sublimis admodum est, aditu tamen non difficilis, non procul à castro illo dissitum, ascendimus, è quo tota Iudæa amœno situ visu obiri potest. In ejus cacumine templum est S. Samuelis, magnum admodum, in quo Heli sacerdos sepultus est, cuius monumentum Turcæ religiosè venerantur. Hic mons ille est, in quo Iosua arcam Domini collocavit, ob quam inde postea ablata, Israëlitæ graves Deo poenas dedere. In eodem monte Iosua terram sanctam inter reliquas septem tribus sorte divisit. Ibidem Samuel Propheta eius dicitur ducatus fuit, D E U M q; secum loquentem primū auctoritatem. Propè hunc montem vallis est per amœna, Ramatha.

Mons Silo.

Templum Samuelis.

Iosu: 18.

1. Reg. 4.

d. cap. 18.

1. Reg. 1. v. 24

1. Reg. 3. inf.

Ramatha.

deinde fortissime divisa. Ibidem Samuel Propheta e

ducatus fuit, D E U M q; secum loquentem primū au

toritatem. Propè hunc montem vallis est per amœna, Ra

matha

matha dicta, ubi Elcana pater Samuelis cum uxore ha- *1. Reg. i. & 2.*
bitavit. Haut longo inde inter vallo olim Gabaon Gabaon seu
sita fuit, urbs magna & una e regalibus, cuius incolae Gibeon.
bellatores fuere fortissimi, scævæ, & funditores ita pe- *Ios. 10. v. 2.*
riti, ut ne pilum quidem jaciendo aberrarent. Hæc *Judic. 10. v. 16.*
urbs illa fuit, quam Iosua ut foedere junctam defen- *Ios. 10.*
dens, gradum Solis, precibus ad D E U M fusis, ad finem
usq; pugnæ sisti fecit. Eadem tamen civitas aliquandiu *Judic. 19 & 20.*
post, ob scelus incolarum in Levitæ uxorem commis-
sum, capta atq; incensa fuit. Ex hac etiam urbe Saul, *1. Reg. 11.*
primus Israëlitarum Rex, oriundus fuit; ibidemq; Sa- *3. Reg. 3.*
lomon oblati victimis divinum oraculum meruit.
His visis vesperi Hierosolymam rerversi sumus.

XXV. Február. ad montem Gihonem, sive ut alii Mons Gihon
volunt, Geonem exspatiati sumus, ubi Salomon in re- *sive Geon.*
gem unctus fuit. In eo monumenta vidimus omnium
totius tractus Hierosolymitanæ pulcherrima, regia ve-
rè omnia, & sine dubio à regibus aliisvè magnatibus
Iudæorum exstructa, quæ omnia e marmore excisa
sunt. Structuram illorum elegantem admodum arti-
ficiosa; cum stupore admirati sumus, neq; similem
antehac vidimus. Singula arcus sublimes, porticus am-
plas, columnas elegantes, pulchrasque fores domo-
rum instar habent, artificio planè singulari pulcherri-
moq;.

M O N S S I O N.

XXVI. Február. montem Sionem conscendimus,
qui olim, ut supra dictum, intra urbis mœnia conclu-
sus fuit, in quo David arcem sedemq; suam habuit, ex *2. Reg. 9. & 1.*
quo civitas Davidis appellatus fuit. Monsest, sive collis *Paral. 11.*
potius elatus, per amœnus, ab altero illo, qui urbem Hie-
rosoly-

M

rosolymorum sustinet, totus ferè separatus, alteraq; duntaxat parte contiguus. Circuitus ejus non magnus admodum est, sed prospectus versus mare mortuum, montes Iudææ, & desertum, amoenissimus. Olim totus mœnibus circundatus erat, quorum parietinæ quibusdam locis hodieq; supersunt. De ejus laudibus Da-

Psal. 48. v. 2. *3. 12.* vid ipse cœcinit: *Mons Sion amoenus tractus est, & totius orbis terrarum voluptas, in cuius Aquilonari latere urbs magni Regis est: In palatijs ejus Deus notus est. Adverteite animum ad propugnaculum ejus, & videte ejus palatia, ut narretis generationi posteræ.*

Ad S. Sepulchrum de-
nuò acce-
dunt.

Dies Mer-
curii Cinerali-
um.

Compater-
nitas.

XXVII. Febr. quia propediem discedere consti-
tueramus, S. Sepulchrum denuò reserari nobis cura-
vimus, locaq; religiosa in monte Calvaria iterum per-
lustravimus, quorum contemplatione mirum in mo-
dum affectus fui, neq; mentem expleri poteram, vereq;

ardescebam intuendo. Dies hic erat Mercurii, quem
Cineralium vocant, primus jejunii quadragesimalis,
quo veteri ritu cineres capitibus nostris inspergebant,
additis his verbis: *memento, homo, quod cinis es, & in ci-
nerem reverteris.* Eodem die vicarius Cœnobii Fran-
ciscanorum, ut filiam recens natam Christiani cuius-
dam, qui ex Armeniâ propè mare Caspium oriundus
erat, ex S. Baptismate susciparem, me rogavit; cui lu-
bens annui, singularem exinde lætitiam, tanquam ex
omine dextro & felici capiens, nomenq; infantи da-
tum fuit Mariæ,

Tandem abitum parantes à dicto vicario testimo-
nia more solito accepimus: cùmq; monachis valedi-
ceremus, illi globulis precariis, quos vulgo *Pater noster*
vocant, imagine item Christi cruci affixi Cedro incisā,
deinde cingulis versicoloribus ad longitudinem S. Se-
pulchri

pulchri factis, aliisq; rebus plurimis nos donabant, quæ munera nos aliis donis longè gratissimis, ducatis nimirum aliquot aureis, compensavimus³,

XXVIII. Februar. manè ego, SCHULENBURGI- Iter Hierosofus, Jacobus Baierus, & interpres noster cum multis aliis Christianis Turcisq; qui non minus quam nos contra Arabum latrocinia numeroſo comitatu gaudent, Hierosolymis per portam castelli diſcessimus, relicto Johanne Baiero, qui cum aliis quibusdam navem Tripolin usq; conduxerat. Terrestri itaq; itinere primū, verſus dextram, montem Gihonem aliosq; ſuperavimus, quibus valles plurimæ interjacent, quæ omnes ædificiis occupatae ſunt. Hinc per collem Rama Ben- Terminus jamin dictum ad locum illum pervenimus, ubi ma- Iudæ & Israë- gnus admodum lapidum acervus congestus eſt, quo limite olim Ephraim à Benjamin, ſive regnum Iudæ à regno Israëlis diſtinguitur. Eſtq; hæc via illa, quæ in Galileam ducit ad urbem Nazareth. Hac eadem viâ paulò poſt ad templum quoddam, quod totum ferè di- rutum eſt, delati ſumus, quo loco B. Virgo & Iosephus filium ſuum amissum credentes, inde Hierosolymam reversi ſunt, ubi ille in templo remaſerat. Hinc per val- lem angustam locaq; deserta progressi, tandem in pago quodam ignobili, in monte ſublimi pernoctavimus.

Kal. Martii intra mortes utrinq; ædibus hinc in- dè occupatos progressi ſumus, olim montes Ephraim dictos, ubi ad ſinistram pagus eſt, quem hodieq; pa- Pag. 16 & 17. gum Ephraim vocant, quæ regio olim filiis Iosephi à raim. Iouā in ſortem concessa, nomen inde accepit. Hinc Iouā 16 & 17. per pagum LEBNA dictum, pauloq; poſt monte quo- Lebna pa- dam ſuperato, per vallem longam admodum multisq; gus. fructibus per amoenam iter habuimus, quem locum

prædium Jacobi & Josephi vocant, ubi Esau fratri Jacobo ex Mesopotamij redeunti obviam venit. In eâdem valle ad pedes montis fons ille est Jacobi, è quo Fons Jacobi, dem valle ad pedes montis fons ille est Jacobi, è quo Servator noster haustum aquæ à muliere Samaritanâ petiit. Fons fuit, ut hodièq; videre est, amplius admodum & profundus, montes inter Garizimum & Hebal mon-
Genes. 33. lem situs, quorum ille mons benedictionis, hic verò Garizim & maledictionis dictus fuit. In hoc Ioathan præclararam Iohan. 4. istam concionem allegoricam habuit ad Sichemitas,
Deut. 11. v. 29
cap. 9. de quâ in historia Iudicum. Ibidem regno Israëlitarum in duas partes scisso, templum illud fuit Jovi hospitalis: templum illud fuit Jovi hospitalis: spitali sacrum, ad æmulationem Hierosolymitani ex-
2. Maccab. 6. structum, quod Iudæis tantoperè exosum atq; invisum fuit. Duo isti montes aliâs etiam Bethel & Dan vocan-
vers. 2. tur, in quibus Ieroboamus idola erexit. Propè eos ad si-
Bethel & Dan. nistram Sichemam urbs antiquissima sita fuit, à principe
3. Reg. 12. regionis istius sic dicta, quam filii Iacobi ob stuprum Siche-
Sichemam urbs. forori illatum gladio percussérunt. Eam postea Iero-
Genes. 34. boamus iterum restauravit, cùm decem tribus Israëlis ab ipso descivissent. Hodiè pagus est Napolosa dictus, quem in valle formâ oblongâ sicutum, dictisq; montibus utrinq; contiguum rivus alluit. In medio plateam ha-
3. Reg. 12. bet unicam, longam admodum, in quâ Sangiacus ha-
Napolosa. bitat, quem Turcarum Imperator toti Samariæ partiq; Galilææ præfecit, ad exemplum illorum, qui Hiero-
Genes. 37. solymis & Gazæ præsunt. Heic locus ille monstra-
Gen. 49. v. 29 tur, ubi Iosephus fratres suos pastores quærens, ab illis
& cap. 50. v. in Ægyptum Midianitis venditus fuit: item alter ille,
25. & Ios. 24. ubi postea in Ægypto moriens corpus suum sepeliri
vers. 32. mandavit, cuius monumentum ad dextram è rupe ex-
Iosephi mo- cisum hodieq; visitur. In his quoq; locis Iosua diem su-
numentum. um obiit.
Ios. 24. vers.
29. 30.

S A M A R I A.

Postrid. Kal. Martii per vallem ad dextram pagos aliquot, quos Christiani occupant, prætereuntes, tandem in Samariam, quæ Iudæam inter & Galilæam sita est, delati sumus. In hac regione, quæ fertilitate Iudææ parum cedit, primùm rudera vidimus ædificiorum olim splendidissimorum, quæ Basilica dicta & viridaria fuere, ædibus elegantissimis exornata, quò Reges Samariæ animi causâ se conferebant. E regione horum mons est per amœnus planitie admodum frugiferâ circumseptus, super quem olim Samaria urbs condita fuit ab Ambri Israëlitarum Rege, qui montem istum Samaria. mariam dictum à Semere quodam emit, urbemq; quam in vertice montis exstruxerat, à venditoris nomine Samariam appellavit, qua postea Reges Israëli-*3. Reg. 16.* tici pro regiâ usi sunt. Hæcq; urbs olim in primis D E O chara fuit, quam, (Heliæi Prophetæ temporibus) Be-*3. Reg. 20.* nadadus rex Syrorum diversis obsidionibus nequicquam cinxit: cumq; aliquando tantâ fame premetur, ut asini caput octoginta constaret argenteis, & quarta pars Cabi steroris columbini quinq; argenteis, *4. Reg. 6 & 7.* adeò ut etiam matres de filiis comedendis concertârint, mox tamen divinâ liberatione servata fuit. In eadem aliquando Optimates civitatis septuaginta filios Achabi trucidârunt, eorumq; capita ad Iehum, qui per *4. Reg. 10.* literas hoc petierat, transmiserunt. Posterioribus verò temporibus Hircano Pontifice Iudæorum expugnato, *Ioseph. lib. 15.* ab Herode rege iterum muro amplissimo munita, & *antiq. Iud. cap. 11.* templo pulchritudine & magnificentiâ nulli secundo, aliisq; ædificiis singulari studio exornata fuit, & in honorem Augusti Græco nomine Sebaste, hoc est, Au- Σεβαστή, Se- gusta sive Honoranda nominata, quod nomen in hunc baste.

usq; diem retinuit. Hodiè tota diruta est, ut nihil antiqui splendoris supersit, præter duo templo, quæ Turcæ occupant, quorum alterum D. Johannis vocatur, in quo Johannem Baptistam duos inter Prophetas, Helium & Abdiam, sepultum esse memorant.

Monumen-
tum Joha-
nis Baptistæ.

Mons Gel-
boë.

¶ Reg. ult.

Iezraël urbs.

Carethy.

Nabothi vi-
nea.

3. Reg. 21.

4 Reg 9.

Strages Ma-
dianitarum.

Iud. 7.

Decem Ie-
prosi.

Luc. 17.

Mageddon
campus.

Judith 1. v. 9

Mons Her-
mon.

Hinc ad montem Gelboë progressi sumus, ex quo Cæfarea, mare mediterraneum, & mons Carmelus visu obiri possunt. In eo Saul à Palæstinis vicitus ipse gladio suo vitam sibi ademit. Iuxta montem in valle ad sinistram, Occidentem versus, collis est, super quo Iezraël urbs sita fuit: hodie pagus est exiguis, triginta circiter domorum, quem Carethy vocant. Hinc non procul locus monstratur, ubi olim Nabothi vinea fuit, quam Achabus rex iniquè ac planè nefariè ad se transstulit: item vallis ista, per quam Iehus iter fecit, cum in Ramotha Galaaditarum ab Helisæo in regem Israëlitarum ungeretur: prætereà alter locus, ubi Iehus Ioramum sagittâ transfixit. Hinc in vallem delati sumus, quæ duobus montibus celebratissimis, Hermoni & Gelboæ, interjacet, quo loco Gedeon Madianitas devicit. Ipsa vallis planitiei per amœnæ contigua est, in qua ad dextram templo aliquot visuntur collapsa, quo loco decem leprosi ad Christum accessere, quos Servator per Samariam Hierosolymam proficiscens personavit. Ibidem hodie castrum est non ita pridem à Turcis exstructum, in quo triginta Ianissarii contra Arabum latrocinia, qui frequentes in his locis peregrinantibus insidiantur, excubias agunt.

III. Martij per campum Mageddonis, qui alias campus magnus Esdrelonis, item planities Galilææ vocatur, ad montem Hermonem iter fecimus, ubi è longinquo mons Thabor conspicitur.

Non

Non procul à campo isto templum exstat adhuc integrum, quo loco Christum cum discipulis suis per *Matt. 12.* sata ivisse dicunt. Ad pedes montis Hermonis villa *Villa Endor.* Endor est, quæ hodieq; nomen illud retinet, quo mulier pythia Samuelem defunctum, jussu Saulis, ab infe- ^{1. Reg. 28.} rris, scilicet, excitavit. Inde ad collem Hermonium pro- *Collis Her-* gressi sumus, qui Hermonem inter & Thaborem mon- ^{monius.} tes situs est, quem collem David montem vocat exigu- *Psal. 42. v. 8.* um. Ad dextram montis Hermonis oppidum *Naim Naina.* situm fuit, loco peramoeno, ab uno montem Thaborem, ab altero verò latere Iordanem fluvium respiciens, ubi Christus filium viduæ è mortuis resuscitavit. *Luc. 7.* Hodie pagus est, qui antiquum urbis nomen retinet. Paulò ulterius progressis locus ostenditur, ubi Abraha- *Genes. 14.* mus Melchisedecho regi decimas solvit. Hinc ad ur- *Hebr. 7.* bem Nazareth non procul dissitam penetravimus, Nazareth, quæ Servatorem nostrum educavit. Eâ perlustratâ re- versi sumus ad montem Thaborem, qui mirâ rotun- ditate sublimis est, cuius altitudinem triginta stadio- *Mons Tha-* rum esse dicunt, verticem verò, qui campestris est, sta- *bore.* diorum trium & viginti. In eo tria sacella antiquitus exstructa hodieq; visuntur, Christi nimirum, Mosis, & Eliæ, qui ibi colloquiuti sunt. Ad sinistram, quâ descen- ditur, templum est, quo loco Christus discipulis inter- dixit, ne visum istud, antequam è mortuis surrexis- set, palam facerent. *Luc. 9.*

Hinc digressi vidimus fluvium Cisonem, ubi Bara- *Cison flu-* cus Sisaram cum exercitu profligavit. In his locis Da- *vius.* videm venationes suas habuisse referunt. *Indic. 4.*

D E C A P O L I S.

Posthac in regionem Decapolitanam delati sumus,
à nume-

à numero oppidorum sic dictam, quæ sunt Tiberias,
 Sephet, Cedes, Nephrali, Asor, Cæsarea Philippi, Ca-
 pernaum, Bethsaida, Corazim, & Bethsan, quas tamen
 urbes etiam auctores veteres non eodem modo enu-
 lib. 5. cap. 18. merant, quo de Plinium consule. Hæc regio aliás eti-
 am vocatur Ituræa, item Trachonitis, interdum etiam
 sive Ituræa. planities Libani, item terra Moab. Hiramus rex Tyri
 3. Reg. 9. Chabul appellavit, quasi dicas terram sterilem, in con-
 temtum viginti istorum oppidorum, quibus Salomon
 illum donaverat. Vocatur etiam Galilæa gentium, vel

Franc. Va-
 tabl. in not.
 ad cap. 9. Eſai.

quod gentes ibi habitârint usq; ad tempora Salomo-
 nis, vel quod gentibus, hoc est, Tyriis & Sidoniis vici-
 na fuerit, & postea dicto Regi Hiramo oblata. Sæpè e-
 tiam Galilæa superior appellatur, ad discriminem alterius

lib. 3. bell.
 Ind. cap. 2.
 Sapheto.

Galilææ, quæ dicitur inferior, de qua utrâq; exactè Io-
 sephus. Heic è longinquo in monte sublimi vidimus
 castrum illud nobile Sapheto dictum, quod Sultanus
 cùm gravissimâ obsidione diu admodum nequic-
 quam cinxisset, dolo tandem & proditione cepit, e-
 Sepheta, Se-
 phoris. jusq; præsidio totam postea Galilæam potestati suæ
 phoris. subjecit. Olim urbs fuit Sepheta dicta sive Sephoris,
 Ioseph. lib. 18. quam Herodes muro cinxit, & totius Galilææ caput
 antiqu. Ind. atq; propugnaculum feoit. Hodiè pagus est, cuius in-
 cap. 3. colæ omnes sunt Iudæi.

MARE GALILÆÆ.

Hinc ad mare Galilææ sive lacum Genesareth per-
 Tiberias, uiv
 venimus, propter quem urbs Tiberias ab Herode con-
 dita, & in honorem Tiberii Cæsaris hoc nomine dona-
 ta fuit. Hodiè mulier quædam Iudæa prædives ther-
 mas aliaq; ædificia pulcherrima, singulari permisſu
 Imperatoris Turcarum, illic exstruxit. Mare sive lacus
 Gene-

Genesara à terrâ continente sic dictus, intra montes *Ioseph. 3. bell.*
effluit, latitudine XL stadiorum, longitudine centum, *Iud. 18.*
quem medium Iordanis fluvius disslocat. Aqua ejus dul-
cis est & potabilis, quæ varia piscium genera profert,
quorum nonnullos ipsi cepimus, ut postea referam.

Hinc montem illum conscendimus, qui mons Do- *Mons Do-*
mini appellatur, in quo Servator noster quinq; homi- *mini.*
num millia quinq; panibus & duobus pīscibus satura- *Marc. 6. &*
ta dimisit, indeq; descendens hominem leprosum sa- *Iohann. 6.*
navit: servo item ægroto Centurionis pristinam sani- *Matth. 8.*
tatem restituit. Mons est non sublimis admodum, lon-
gior quam latior, ad cuius pedes olim Capernaum urbs *Capernaum*
exstructa fuit, in qua Christus jus civitatis habuit, quæ urbs.
hodie solo æquata est, ut vix tres ædicolæ supersint; *Matth. 9.*
quam illius fortunam ob scelera incolarum Servator *Matth. 11.*
noster prædixerat. *vers. 23.*

Hinc in viâ ad urbem Bethsaïdam fontem vidimus, *Capernaum*
ab indigenis Capernaum dictum, quem nonnulli, ut est *fons.*
apud Iosephum, venam esse Nili fluminis ex eo opi- *lib. 3. bell.*
nantur, quod similes Coracino Alexandrino pisces ge- *Iud. c. 18.*
nerat. Ab eo viginti passuum spacio locus abest, quo
Christus post resurrectionem discipulis suis pīscanti- *Iohann. 21.*
bus denuò se manifestavit. E regione hujus loci trans
mare Galilææ alter mons est, in quo S O T E R quatuor
hominum millia septem panibus saturavit, in regione *Matth. 15.*
Galaadi, ubi Laban generum Iacobum fugientem in- *Gen. 31.*
sequutus est, quam terram dimidia tribus Manassis *Numer. 32.*
cum Rubenitis & Gadinis possidendam accepere. Ve-
speri relictâ ad sinistram terrâ istâ filiorum Manassis,
quæ versus mare mediterraneum est, ubi olim Cæsarea
Philippi floruit, in pago quodam ad ripam maris Ga-
lilææ *Mini* nomine, quod portum denotat, diverti-

N mus,

Piscatio in
mari Galilææ. mus, ubi noctu cum pescatoribus in mari isto Galilææ
sive lacu Genesarâ egregios aliquot pisces cepimus,
Cephalo sive Mugili, qui Venetiis frequens est, non
absimiles'.

Bethsaïda.
Ub. 18. ant.
Iud. c. 3.

Magdala.
Matth. 15.
in f.

Corazim,

Dothaim.
Puteus Iosephi.
Genes. 37.

I V. Martii montem quendam conscendimus, è quo ad dextram in valle adjacente, juxta mare, pagum quendam palmis consitum vidimus, quo loco olim urbs Bethsaïda, Petri, Andreæ, & Philippi Apostolorum patria fuit. De eâ ita Iosephus: *Philippus (Tetrarcha) vico etiam Bethsaïda in ripâ lacus Genesarethini urbis speciem addidit, frequentato incolis & opibus aucto, quem Iulia Cæsaris filia cognominem esse voluit.* Haut longo inde intervallo pagus est exiguus, ubi olim oppidum Magdala fuit, loco satis amoëno & fructifero, unde Maria illa Magdalena oriunda, ad differentiam aliarum cognomen accepit. In alterâ maris parte, ubi Iordanis in mare Galilææ illabitur, olim Corazim exstructa fuit, quæ hodiè tota devastata est. Ex eodem monte præter mare Galilææ oppidaq; adjacentia, locus quoq; visu obiri potest, ubi propè Tiberiadem Iordanis fluvius, relicto mari, in Asphaltitem lacum penetrat.

Hinc per vallem quandam amoënißimam in terram Dothaim pervenimus, ubi filii Iacobi Patriarchæ fratrem suum Iosephum in puteum aquâ vacuum conjecterunt, qui tecto fornicato adversus tempestatis injurias, & quatuor columnis (quarum tamen tres tantum adhuc integræ sunt) suffultus in hodiernum usq; diem conservatur. Rura circumjacentia hodieq; pascua sunt, fontibusq; limpidissimis irrigua, in quibus Turcæ equos & Camelos gregatim pascunt, uno sœpè loco quinq; dies commorantes, quam in rem tentoria sua eleganti ordine in modum castrorum posita

sita habent. Ibidem ad sinistram Bethulia olim sita pū- **Bethulia,**
tatur, quam Holofernes infaustā obsidione cinxit. Nos
ad dextram abeuntes per terram Zabulonis, versus Ior-
danem, lacum Merom vidimus, ubi Iosua tot Reges in- **Lacus Me-**
genti prælio devicit, qui lacus altero illo Genesarā mi- **tom.**
nor est, altitudine aquarum variâ, pro ut Iordanis, qui **Iob 11.**
transfluit, nunc augetur, nunc diminuitur. Ad sini-
stram propter radices montis fons quidam exoritur, **Fons notabi-**
qui rotam molæ, jactu tantum unius lapidis à scaturigi- **lis.**
ne distantem versat, & postea sinuosis flexibus instar
Mæandri per prata fertilissima in Iordanem & aquas
istas Meromias se effundit.,

V. Martii per vallem amœnam vitiferamq; juxta
montem Libanum iter habuimus, in quo traçtu pagi
sunt plurimi, in quorum nonnullis vœtigal à nobis ex-
igeabant. Hinc in aliam vallem venientes, rivulum vi-
dimus, quem fontes è montibus profilientes efficiunt,
quæ scaturigo est Iordanis, qua de nos suprà ex Iosepho **Scaturigo**
& Hieronymo. Inde non procul in aliâ valle per amœ- **Iordanis.**
nâ prædium quoddam est suburbanum, cum balneo
& aqueductu, è marmore eleganter admodum formâ
Arabicâ exædificatum. In hac regione pagi totius Pa-
læstinæ omnium maximi sunt & pulcherrimi, in quo-
rum uno *Hamar* nomine apud Christianum quendam *Hamar pa-*
percommode divertimus, qui lautè admodum nos ex- gus.
cipiebat, nullum humanitatis officium erga fratres pe-
regrinos prætermittens.

SYRIA DAMASCENA.

Ex hoc traçtu terræ sanctæ in Syriam Damascenam
sive Libanicam delati sumus, in qua multi habitant
Christiani, qui Charitati in primis & Cōcordiæ student.

Christiano-
rum ibi cul-
tus & jejunia.

Tempus erat jejuniorum cùm illuc transiremus, quo
toto die ne tantillum gustant, sed vesperi, ad quod usq;
tempus cultui divino vacant, cibi aliquid adsumunt,
totoq; jejuniū tempore carne omni pīcibusq; absti-
nent.

Aynsek sive
Baalbeth.

Nonis Martii hortos inter amoenissimos ad urbem
quandam adcessimus, olim Aynsek, quod oculos Solis
denotat, hodie Baalbeth dictam, quasi dicas domum
idoli, sive domum Domini, (Baal enim & idolum &
Dominum significat) quam Mahometani munivere.
Exstat in eā fanum antiquo more Romano egregiè ad-
modum constructum, formā rotundā eminentiūq; al-
titudine, quod multis columnis suffultum est. Præter
illud aliud quoddam est formæ ejusdem, sed magnitu-
dinis minoris, quod Christiani à Turcis impetratum
S. Barbaræ consecrârunt. Urbs est populosa, maxi-
mam partem opificiis dedita, cui Sangiacus quidam
præest.

Postridie Nonas Martii Damasco ad dextram, & ad
sinistram Syriā Phœnice, & Beryto (vulgò Barutum
vocant) relictis, montesq; inter Libani progredientes,
in vallem quandam perangustam delati sumus, ubi
Aqua nigræ scaturigo est aquæ limosæ nigri coloris, quæ è specu
infra montem proveniens paulò pòst fluvio Amano
Abana. (in sacris literis vocatur Abana) commiscetur. Hoc
4. Reg. s. v. 12. die pluviis admodum agitati sumus, quod toto itinere
Pluviæ raræ. aliâs nunquam in his regionibus contigit.

Tripolis.

IX. Martii vesperi urbem Tripolim ingressi su-
mus, quæ duobus milliaribus Italicas à portu maris me-
diterranei abest, circumcirca hortis odoriferis cincta.
Ab unâ ad montem, ab alterâ verò parte in plano ex-
structa est, loco peramœno & fructifero. Dicta autem
est Tri-

est Tripolis, quod colonias trium urbium, Aradi, Tyri, & Sidonis contineat. Urbs est omnium pulcherrima, quas toto hoc itinere vidimus: ædificia habet elegan-
tissima, è lapidibus quadratis facta, plateas nitidas, o-
mnesq; lapide stratas. Medium urbem fluvius Fons aqua-
quarum dictus permeat, qui molas aliquot versat: estq; rum.
populosa admodum & dives, mercaturâ in primis cla-
ra, quam diversæ nationes, præcipuè verò Galli & Ita-
li, frequentes ibi exercent. Merces illorum maximam
partem aromata sunt & gemmæ preciosæ, quas ex In-
diâ Persiâq; per Damascum & Alepum apportatas in
Europam transmittunt, è quâ vicissim pannos & cu-
prum accipiunt. Smegma etiam magnâ ibi copiâ pa-
ratur. Tota Syria, præcipuè verò circa hanc urbem,
bombycibus abundat, qui telas araneorum modo te- Bombyces.
xunt, ad vestem luxumq; fœminarum, quas, ut est apud lib. 11. cap. 22.
Plinium, prima retorquere rursusq; texere invénit in
Ceo mulier Pamphilia, Latoi filia.

XI Martii novum Sangiacum Bassæ Damasceni fi-
lium insigni apparatu, equorum præcipuè, in urbe Tri-
poli magnâ solemnitate excipi vidimus, cui tertio die
pòst vice Consul, pro more solito, munera obtulit, pan-
num Coccinum, sericum Damascenum, aliaq;.

L I B A N U S.

Eidibus Martii Ianissarium quendam aliumq; Ara-
bem viæ gnarum conduximus, qui nos ad cœnobium
in monte Libano situm, viâ per amœnâ oleis consitâ,
deduxere, ubi Patriarcha Maronitarum (ita vocantur
hoc loco Christiani) sedem suam habet. In hoc cœno- Cœnobium
bio templum est, maximam partem è rupe excisum, in Libani.
quo tres campanas habent, quarum aliâs per totam Campanæ.

Arabiam nullus usus est. In hoc tractu Libani nemo
præter Christianos habitat.

Postridie Eid. Martii viâ inviâ in montem Libanum ascendimus, quem ab omni parte fructus, quos profert, amœnum reddunt. Superius pagi aliquot sunt, in quibus Christiani habitant, qui omnes Imperatori Turcico tributum pendunt, ab aliis periculis & oneribus tuti & immunes. Hinc ulterius ad cacumen usq; montis progressi sumus, quod totum nivibus copertum est, inferius verò calore ardet. Eum C. Tacitus præcipuum montium (Iudeæ) vocat, mirumq; dictu esse ait, tantos inter ardores opacum fidumq; nivibus esse. Ex adverso obtenditur AntiLibanus, valle tantum interjectâ, qui olim muro conjunctus fuit, teste Plinio. Eos inter Orontes fluvius oritur juxta Heliopolim. Libani juga quamvis nivibus testa, hodieq; tamen Cedros aliquot habent, numero circiter

lib. 5. hist. or.

*AntiLiba-
nus.*

lib. 5. c. 20.

*Cedri in
monte Liba-
no.*

lib. 24. cap. 5.

lib. 16. cap. 21.

¶ 24.

lib. 16. cap. 40.

viginti quinq;, quarum truncis quia plures interdum furculi insiti sunt, ex quo numerantibus arbores ipsæ nunc plures nunc pauciores videntur, vulgo obtinuit, Cedros Libani numerari non posse. Est autem Cedrus arbor procera, altitudine pinum superans, cui similis valde est. Strobilos profert pineis majores, & resinam fundit laudatissimam, quæ crassior est & ad pices faciendas apta, Cedria dicta, quam Plinius dentium doloribus utilissimam esse scribit. Folia ejus capillata & pungentia, eodem teste, nunquam decidunt. Cariem vetustatemq; non sentit, neq; ejus oleo peruncta matieres tineam; unde veteres simulacra Deorum ex eâ factarunt. Eâ in Ægypto & Syriâ Reges, in opia abi etis, ad classes usos ferunt, artificio sine dubio singula ri, quia Cedrus clavum non tenet, quod utrumq; idem auctor refert. Hoc

Hoc monte perlustrato, XVII. Martii Tripolim reversi, posterâ die ad portum maris exspatiati sumus, castelli illius videndi gratiâ, quod Turrem Amoris vo- Turris Amo-
cant, de quo hanc historiam vulgus narrat: Cum ante ^{ris.} annos aliquot mercator quidam peregrinus, amore Turcicæ cujusdam mulieris captus, rem cum eâ habuisset, & ob id ad ignis supplicium damnatus esset, illustre aliquod ædificium exstruere promisit, si poena mortis remitteretur: huic cum Sangiacus annuisset, ille castellum istud juxta portum, sumtu quinques mille ducatorum aureorum ædificavit, ex quo postea Turris Amoris nomen accepit: verùm opere absoluto Sangiacus nihilominus contra fidem datam capite eum plecti mandavit. Est præterea mons extra urbem, in quo Christiani templum habent D. Iacobi dictum, è quo sereno cœlo Cyprus insula visu obiri potest. Deindè aliud quoq; Christianorum templum est extra Templum urbem B. Virgini dicatum: pons item Rodomontis Christianorū. fonti hortorum impositus, cum aquæductu longitu- Pons Rodo-
dine centum & octo passuum, quo aquæ in fontes ur- montis & a-
bis deducuntur. Præterea in urbe ipsâ arx est loco edi- quæductus.
to exstructa, quæ Ianissariorum præsidio custoditur. In Arx.
hac urbe usq; ad diem XXVII. Martii commorati sumus, in qua VI. ducati aurei per mensem provictu & habitatione persolvuntur..

C Y P R U S.

Hinc tandem mediâ nocte vento secundo solvi-
mus, Cyprum versus, quam insulam, cum prius duo
promontoria, quorum primum Græcum appellatur,
ad cuius dextram Famagusta sita est, alterum verò S.
Georgii, præternavigassemus, die XXIX. Mart. à me-
ridie

ridie attigimus; ubi in portu Salinarum egressi, D E O
Opt. Max. grates diximus, quod nos è regionibus infi-

delium in Christianorum terram (tunc temporis enim

C Y P R I N O- Cyprus Venetis adhuc parebat) salvos & incolumes
mina anti- reduxisset. Hæc insula in sinu Issico Ciliciam inter &
qua. Syriam sita, olim à variis variè nominata fuit. Iose-

a) lib. 1. an- phus a) primum à Chetimo Javanis filio Nohæ prone-
nq. Ind. c. 7. pote Chetimam dictam fuissè probat. Xenagoras, ut est

b) lib. 5. c. 31. apud Plinium, b) à fertilitate Macariam, hoc est, Bea-
tam appellavit, Aspeliam item & Amathusiam: Phi-
lonides Corastin, Acamantida Timosthenes, Astyno-
mus Crypton & Coliniam. De veteri illius fertilitate &

lib. 14. in vi- potentia ita Ammianus Marcellinus: *Cyprum insulam*
ta Galli & procul à continentis discretam & portuosa, inter munici-
Constantij. pia crebra, urbes duæ faciunt claram, Salamis & Paphus,
altera Iovis delubris, altera Veneris templo insignis. Tantâ
autem, pergit Ammianus, tamq; multipli fertilitate ab-

undat rerum omnium eadem Cyprus, ut nullius externi in-
digens adminiculi, indigenis viribus à fundamento ipso ca-
rinae ad supremos usq; carbasos edificet onerariam navem,
omnibusq; armamentis instructam mari committat. Hodie
præter alios fruct⁹ gossipio & Carobe sive Siliquâ abun-
dat. Olim novem regnum sedes fuit. Ejus circuitum

lib. 5. cap. 31. Timosthenes, teste Plinio, CCCCXXIX. M. CCCCC.
stadiorum prodidit: Isidorus CCC. LXXV. M: Bor-
donius trium millium quadringentorum ac viginti,
seu CCCCXXVII. M. passuum in circuitu, CC. M. in

Cyprus lu- longitudine. Luxuriæ olim tantoperè dedita fuit, ut
xuriosa. ob id Veneri, quæ potissimum ibi colebatur, sacra cre-

lib. 18. his tor. dita fit, cui puellæ Cypriæ suam ipsarum pudicitiam
dicabant, de quo Iustinus: *mos erat*, inquit, *Cyprijs vir-*
gines ante nuptias statutis diebus, dotalem pecuniam quaesi-
turas,

turas, in quæstum ad littus maris mittere, pro reliquâ pudicitâ libamenta Veneri soluturas. Nos primùm in pago Larnica pa- quodam Larnica dicto, qui duobus milliaribus à por- gus. tu abest, divertimus, à quo non procul mons crucis vi- Mons crucis. situr, in quo crucem illam adservari dicunt, in quâ al- ter ille latro resipiscens pependit.

Ultimâ Martii Larnicâ noctu discedentes (die enim iter facere propter æstum intolerabilem non licebat) altero manè urbem Famagustam ingressi sumus, quæ Famagusta super rupem condita non magna admodum est, sed benè munita, portum habens tutum satis, sed angu- stum, navibus tamen actuariis recipiendis benè aptum, qui catenis clauditur. Ad dextram hortos habet malis citreis, punicis, & chrysomelis amœnissimos. Aquam incolæ, quâ terram irrigant & in urbe quotidiè utūtur, boum partim ministerio, partim rotis, ut in Ægypto fit, attrahunt. Urbs Episcopatu clara est, in cuius templo, quod S. Nicolao sacrum est, Iacobus ultimus Regum Monumen- Cyprī sepultus jacet, cujus hoc Epitaphium legitur ad tum Iacobi sinistram chori, in prædicto templo: Iacobo de Lusignano ult. Regis Hierosol. Cypr., Arme. Regi, cui divine laudes ob præclara facinora & obtentos de hoste triumphos. Hic ob denegatos honores Monarchiam Cyprī ut Caesar invadens obtinuit, A- megustum subegit, Venetorum dominio præpotentissimo ad- hæsit, illius filiam Kthelinam venustissimam & certò deam sibi copulans connubio: pius, prudens, clemens, munificus, magnanimus princeps, quo nemo bello major nec armis, hunc mors effera anno imperij XIII. etatis verò XXXIII. pere- mit, atq; ejus posthumum vagientem necavit, 1473. d. 6. Iulij. K. V. E. R. E. conj. F. V. C. H. F. E. P. I. Famagus. dictante. Ponè altare hæc verba lapidi incisa legiuntur: FRAN- CISCO DE PRIOLIS VENETÆ CLASSI IMPERANTE Monumen- tum Fr. de Priolis.

DIVI MARCI VEXILLUM CYPRI FELICITER ERECTUM EST, Anno 1488. XXVIII. Februari.

*Hydria Ca-
næ.*

Iohan. 2.

*Monumen-
tum Epipha-
nii.*

*Historia de
quodam
Scaligero.*

*Salamin sive
Famagusta
vetus.*

Actor. 13.

*lib. 44. his-
tor.*

Est & aliud templum non magnum admodum S. Mariae Hydriæ dictū, in quo ad dextram una ex hydriis istis adservatur, in quibus aqua fuit, quam Christus in nuptiis Canæ Galilææ in vinum transmutavit. Urna est fictilis & magna, cuius manubrium alterum totum avulsum est, alterum verò ex parte fractum. Præter hæc duo tertium quoq; Græcorum templum est, S. Georgii, in quo

monumentum Epiphanii è marmore visitur cum epitaphio Græco, quod senio abolitum integrè legi nequit. In regione hujus templi tunc temporis senex quidam brevis statura habitabat, cui nomen erat Petro Paulo, quem unum ex familiâ Scaligerorum Veronensem esse dicebant. Eum puerum adhuc Veneti, Veronâ captâ, in Cyprum relegârunt, ubi diu in castello custoditus, tandem ut liberè, intra moenia tamen urbis, exspatiari sibi liceret, impetravit. Interdictum etiam ipsi fuerat uxorem ducere: verùm ex concubina filium & duas filias procreavit, quas duobus Belgis despōdit, quorum alter miles erat & Medicinæ Doctor, alter verò pueros liberalibus disciplinis erudiebat, qui ambo toto tempore, quo Famagustæ morabamur, multa humanitatis officia nobis præstiteré. Episcopi hujus urbis redditus annuos tria millia ducatorum aureorum esse dicunt. Non procul ab urbe locus est, ubi

Barnabas Evangelium de JESU CHRISTO annunciarunt. Ejus rudera aliquot hodieq; visuntur, ut & templum cum carcere subterraneo S. Catharinæ, qui è rupe quasi excisus videtur. De Salamine ita Justinus: *Gallici afferunt post finem Trojani belli Teucrum, morte Ajacis fratris*

fratris invisum patri Telamoni, cum non reciperetur, in regnum Cyprum concessisse, atq; ibi urbem nomine antiquæ patriæ Salamina condidisse.

VIII. Aprilis Famagustâ discedentes, per ingentem admodum planitatem in medio insulæ sitam, quæ utrinq; longâ pagorum montiumq; serie prætexitur, Nicosiam venimus, unius diei itinere, quæ urbs magna Nicosia, satis est pulchraq; in qua Archi-Episcopus, cuius redditus annuos ad duodecim millia ducatorum aureorum (uti fama est) se extendunt, maximaq; pars Nobilium totius Cypri habitant. Spatio unius horæ & quadrantis urbs tota circumiri potest. In cœnobio quodam Franciscanorum corpus S. Francisci militis Burgundi Sepulchrum in feretro ligneo monstratur. Est & aliud Cœnوبium S. Francisci. ejusdem nominis, in quo maxima pars Regum Cypri sepulti sunt, & mausolea habent verè regia. Nobiles Nobilium Galli à temporibus Regum Cypri in hac urbe plurimi Gallorum in sunt, qui Gallorum habitu hodieq; incedunt, & multis immunitatibus ac privilegiis gaudent. Subditos suos qui Barici dicuntur, mancipiorum jure habent, quo- Barici. rum quidam servi nascuntur, quidam liberi nati, postea ad certa tantum venditi sunt servitia. Fœmina libera servo nubens filios parit servos, secus quam de iure Romano, quo ex matre liberâ & patre servo liberî nascuntur ingenui. Servus alterius domini subditam matrimonio sibi jungere non potest, sed ipsi nobiles subditos suos inter se contubernio copulant, nisi interdum in gratiam alterius dominus permittat, quod raro adcidit; quo casu liberi ad illum dominum pertinente, sub cuius potestate mater fuit, ut partus ventrem sequatur. Nobiles voluptatibus, in primis vero venationi & aucupio, admodum dediti sunt, certisq; anni tem-

O 2 poribus,

poribus, Bacchanaliorum præsertim, ludos triumphales & convivia magno splendore sumtuq; instituunt. In
 Jus primoge^r successionē hereditariā primogenitus & titulum &
 nituræ.
 filias ut plurimū sibi desponent. Cives urbis eo tempore, quo nos aderamus, gravem motum excitabant, domui præfecti cujusdam vim inferentes, eò quod maximam partem frumenti, quo regio hæc abundat, in alienas terras exportari cognoverant, ex quo ipsos panis ad vietum quotidianum deficiebat: tumultuantes tamen nonnulli ex primariā nobilitate postea advenientes blandis verbis promissisq; sedarunt. In templo cathedrali Venetus quidam septultus jacet, Carolus Capellius nomine, quem præter trium linguarum notitiam aliis quoq; scientiis exornatum, nobili cum primis familiâ natum, mirâq; morum facilitate omnibus commendatum, Veneti ad biennii spacium, pro more solito, toti insulæ Cretæ præfectum constituere, postea verò Cypro ad triennium, qui vivus hoc epithaphium momumento suo inscribi mandavit: *Hoc ego ipse Carolus Capellius, eques Reipublicæ Venetæ, Cypri prorex dictavi, & meo corpori has ædicularas erigendas curavi, animum autem ad Deum volaturum optavi & fidi. Vos electi Dei salvete & ejus immensam pietatem vestris precibus mihi conciliate:*

*Quod vixi valuiq; bonos, hospes bone, juvans,
 Vita labor, requies mors mihi certa fuit.
 Mens fuerat quicquid præclarum est, scire negavit
 Mors cita, quod vixi scire nihil didici.
 Sed cæcas hominum mentes, haec omnia vite
 Somnia sunt, animus vivus in astra redit.*

Monumen-
tum Caroli
Capellii.

Quin

*Quineā, quam metuunt homines, mors, vita putanda
Æternū per quam vivimus & sapimus.* (est,

XVI. April. Nicosiā discessimus, posteraq; die ve- **Limiso.**
nimus Limiso, qui pagus est insignis, Episcopatu redi-
tuum ter mille ducatorum aureorum clarus, in quo
ruinæ castelli cujusdam visuntur..

XXV. April. cum navi quadam Venetā, quæ tunc
temporis præcipuas inter maximasq; habebatur, plus
quād ducentarum personarum comitatu, duabus ho-
ris post occasum Solis ē Cypro solventes, posterā die
circa meridiem ad urbem Paphum appulimus, ubi **Paphus.**
Paulus & Barnabas Elymæ cujusdam fraude & malitiā **Actor. 13. v. 6.**
miraculose convictā, Sergium Proconsulem Christo
lucrati sunt. Hæc quoq; urbs Episcopum habet, cuius
redicis annui itidem ad tria millia ducatorum aureo-
rum estimabantur..

Nonis Maii Papho solventes, quarta die pōst in si- **Sinus Attali-**
num Attalicum delati sumus, ubi partem Pamphiliæ cus.
in Asia minori, (hodie Caramania dicitur) montes i- **Pamphilia** si-
tem Ciliciæ, deinde Corydelam & Menalipeam, Che- **ve Carama-**
lidoniæ insulas, navigantibus pestiferas, contra Tauri **nia.**
promontorium ē longinquo vidimus².

XII. Maii vesperi ē nautis quidam velum antennæ
subnectens, casu, an negligentia incertum, in mare de-
lapsus, prius quād nos navim vertere & succurrere la-
boranti poteramus, interiit.

XV I. Maii circa vesperam ingentem gruum mul-
titudinem ē Barbaria versus Caramaniam, quas regio-
nes mare mediterraneum distantiā quingentorum
milliarium dissecat, ordine consueto trianguli, po-
nē navim nostram advolare vidimus, non altā admo-
dum, & ut nobis videbatur, vix trium ulnarum ā mari

distantiâ, sine dubio itineris laffitudine: aliâs enim, te-
Bb.10. cap.23. ste Plinio, ad prospiciendum altè volant, ducem, quem
sequantur, eligentes: in extremo agmine per vices, qui
acclament, dispositos habent, & qui gregem voce con-
tineant; suntq; hyemis, ut ciconiæ æstatis, advenæ.

Tranquilli- A die XVII. Maii usq; ad XXII. ejusdem mensis
tas maris a- vento parum spirante, vix ac ne vix quidem navigare
quam putre- potuimus, jamq; medium maris mediterranei tenen-
scere facit. tes aquam nostram putrescere sensimus, sitiq; peribant
multa pecora, quæ postea interdum semimortua ma-
ctare necesse habuimus. In tranquillitate verò istâ ma-
ris parum nobis acceptâ, corpora natando exercui-
mus. Mihi toto hoc itinere maritimo in primis curæ
Studiū pixi- fuit, ut cognitionem aliquam pyxidis nauticæ à nau-
disnauticæ. clero nostro perciperem, cuius beneficio vasta maris
spatia & sinuosos anfractus, non secus ac si terrâ iter fa-
ceremus, emetiri possumus, quam artem jucundam
juxta atq; utilem deprehendi.

Promontori- XXVI. Maii vesperi ad sinistram è longinquo vi-
dimus promontorium Barbariæ, quod alii Sabinæ, alii
um Barbariæ, verò Boni Andreæ esse putabant, ubi loca sunt inculta
B. Andreæ. & deserta, urbes nullæ, pagi exigui, in quibus Æthio-
pes habitant, qui omnes nudi incedunt, & pecorum
pastu, ovium in primis atq; Camelorum, vitam tra-
Navigatio hunt. Heic cum jam per aliquot dies nunc in partibus
adversa & e- Caramaniæ, nunc in oris Barbariæ, vento vehementer
jus causæ in- adverso usi fuissimus, omnes tristitiâ affici, & in causas
quisitio. tam diuturnæ calamitatis inquirere coepimus. Qui-
dam è Fontificiis vel excommunicatis aliquos, ut vo-
cant, navi nostrâ velhi, vel reliquias Sanctorum clam il-
latas sibi imaginabantur, ejusq; suspicione me & SCHU-
LENBURGIUM, quia exteri eramus ipsisq; ignoti, iniquè
onera-

onerabant. Nonnulli Episcopum quendam Cypriensem suspectum habebant, qui artium magicarum accusatus, cum aliis quibusdam clericis, catenis vincitus, navi nostrâ Venetias mittebatur, quem nonnulli minatum esse dicebant, se incantationibus suis navem retrò agere, & sic quo minus Venetis traderetur, impedire velle: verùm hac de re à Rectore navis severius interrogatus, omnia constanti animo pernegavit. Alii ex Pontificiis navim aquâ benedictâ, uti vocant, aspergentes, vel sic Spiritus immundos expellere, sed ne quicquam etiam, conabantur.

X X X. Maii insulam Carpathum & promontori-
um Salmonis in Candiâ è longinquo vidimus. In his vulgò Scar-
locis navigatio nostra eadem ferè fuit, quam S. Pauli, Panto.
ut parvis magna comparem, descripsit D. Lucas in A-^{cap. 27.}
Etis Apostolorum.

CANDIA sive C R E T A.

Calendis Junii promontorium Salmonis præter-
navigantes, in Candiam appulimus, ubi Dieten vidi-
mus, montem excelsum, mediâq; æstate nivibus fidum.
Est autem Candia (olim Creta,) insula pulchra admo-
dum & magna, undiq; montosa, Cypro major, minor
autem Siciliâ & Sardiniâ, quibus solis in toto mari me-
diterraneo cedit, nobilitate & fertilitate par omnibus.
Olim centuna urbibus inclyta fuit, & ob id Græcis
τόμπλις dicta, ex quibus quadraginta, Plinii tempore,
adhuc floruère: hodiè quatuor duntaxat alicujus no-
minis supersunt, Canea, Rethimo, Candia, & Sittia. De eâ multa apud Aristotelem ^{a)} & Plinium ^{b)} repe-
rias, meminitq; Virgilius:

Creta Jovis magni medio jacet insula Ponto,

Mons

Canea, Re-
thimo, Can-
dia, Sittia.
a) lib. 2. polit.
cap. 10.
b) lib. 4. c. 12.

*Mons Idæus ubi & gentis cunabula nostra
Centum urbes habitant magnas uberrima regna.*

Hodieq; fructibus & vino, in primis verò Malvatico abundat, quod indè in omnes ferè orbis partes defertur. Pecorum quoq; dives est, caprarum in primis Oves quadri-atq; ovium, quæ quatuor cornibus armatae sunt, & pincornes. Cretensium bet bellicosos, qui arcu admodum excellunt, sed natumores. râ sunt ad vitia admodum proclivi, qui etiam Evangelium I E S U C H R I S T I, primis statim annis, traditionibus suis, fabulis Iudaicis, & errore perniciosissimo non parùm depravârunt, quæftionibus potius fabulosis, quam piè vivendo religionem Christianam jaçitantes, ipso D. Paulo teste, qui testimonium illud Epimenidis:

*Epistol. ad
Tit. c. 1.*

Cres mendax, mala bestia, ventrem pascit inertem, verum esse affirmat. In primis verò mentiri adeò proprium quasi fuit Cretensium, ut apud Græcos οὐ ηγετίζειν pro mentiri usurpatum sit: Suntq; nonnulli qui Proverbium proverbium istud: τέλα νάππη νάνησσα, quod D. Augustinus de tribus Cornelii, Syllâ, Cinnâ, & Lentulo dibutum putavit, de Cretensi, Cappadoce, & Cilice interpretantur. Ipsa insula olim Iovi consecrata fuit, quod eum heic natum alitumq; credidit antiquitas. Eam multis quoq; aliis fabularum involucris celebrem reddidere priscorum carminum cantus, ut de concubitu Iovis cum Europâ, ex qua Minos natus sit, item de Minotauro, ex Pasiphaë Solis filiâ, Minois uxore, illegitimi prognato; de Dædali Labyrintho, & similibus. Hodie tota insula Venetis paret.

*Camelus
mons.*

II. Junii, quæ feria prima erat Pentecostes, ad Camelum montem excelsum pervenimus, à cacumine, quod

quod tuberi Cameli animalis simile est, sic appellatum.

III. Jun. Troadem versus, montem Idam vidimus, Ida mons.
à quo nunquam nives abesse, inq; eo Cupressos gigni
Plinius scribit. Poëtis mons iste admodum celebris est, *lib. 16. cap. 33.*
propter judicium istud, quod Paridem de pomo aureo
pro Venere contra Palladem & Junonem ibi tulisse ca-
nunt.

IV. Jun. in insulam Claudam, quæ Cretam spe- Claudia in-
ctat, delati sumus, in qua D. Paulus cum tanto periculo sula.
navigavit.

Att. 27. v. 16.

Nonis Junii vesperi insula Cythera in conspectum Cythera in-
nostrum venit, olim Veneris tutelæ consecrata, quæ sula.
inde Cytherea cognominata fuit, ubi Paris Menelao
Helenam rapuit. Hodiè Venetis paret, qui eam forti
castello munivere. Sequentibus aliquot diebus vento
interdum nullo, interdum adverso navigantes, nihil
memorabile vidimus, præter promontorium Pelo-
ponnesi, insulam Cerigo, & Maleam Lacedæmonio- Cerigo, Ma-
rum, quod promontorium est Laconia, per quinqua- lea.
ginta millia passuum in mare protensum, adversis
ventorum flatibus navigationem reddens periculof-
sam, unde proverbium natum est: *Cum ad Maleam de- flexeris, domesticos obliviscere.* Tandem iij Sinum Coro- Sinus Coro-
næum delati, qui ab oppido Corone sic appellatur, diu natus.
admodum adversis flatibus detenti sumus, ut ne vix *Vid. Plin. lib.*
quidem solvere potuerimus, quod periculum augebat *4. cap. 5.*
metus piratarum Turcicorum, qui in hoc mari fre-
quentes latrocinantur. Accedebat & illud incommo-
di, quod aqua nostra, etiam si aceto permixta, nimio ta-
men foetore nauseam morbumq; bibentibus crebat.

XVI. Junii manè insulam Cephaleniam, quon- Cephalenia.

P dam

Vid. Plinium dam Melænam dictam, postea sinum Laërtiacum &
Ib. 4.c.12. duas Paxas præternavigantes, tandem in Epirum dela-
 tis sumus, cùm X L III. dies continuos navigasssemus,
 quæ regio ad Magnesiam Macedoniamq; tendens, à
 tergo Dassaretas, liberam gentem, mox feram, Darda-
 nos habet. Aliàs vocatur etiam Albania, olim Chao-
 nia, fuitq; urbibus populisq; frequentissima, quam Ro-
 mani subactam, cum saepius deficeret, tandem in soli-
 tudinem penè redegerunt. Hodiè incolas habet Chri-
 stianos, qui tamen Mahumetanis non parent, sed o-
 mnibus quasi legibus soluti, raptu & latrociniis vi-
 vunt, loci genio peculiari, quem nec tempus, neç re-
 cta institutio mutavit.

Corcyra.

Ib. 1. hist. or.

Ibid.

X V III. Junii insulam Corcyram sive Corfu attigi-
 mus, Ulyssis naufragio & hortis Alcinoi nobilitatam,
 quæ à Nymphâ quâdam Corcyrà nomen accepit,
 quam à Neptuno ibi compressam referunt. Homero
 Scheria & Phæacia, Callimacho Drepene dicitur. Insu-
 la est peramoena & fertilis, oleo in primis: urbe etiam &
 castello probè munita, mōtibusq; cincta plurimis, qui-
 bus mare versus, turres & castella in ædificata sunt. O-
 lim Corinthiorum colonia fuit: sed quia pecuniarum
 copiâ vel ditissimis quibusq; illius seculi Græcis par-
 erat, & bellico apparatu, navaliter in primis, pollebat, Co-
 rinthios, ut Thucydides refert, contempsit. Ejus si-
 tum & commoditates Legati Corcyrenses Athenas
 missi, ut contra Corinthios opem peterent, in hunc
 modum, ut est apud eundem Thucyd. descripsere:
*Sita est insula nostra loco oportuno ad traiiciendum in Itali-
 am & Siciliam, ita ut nec inde classem contra Peloponne-
 sios venire sinat, & eam, quæ hinc venit, illuc deducat. Atq;
 ut paucis dicam, sic habete: Tres sunt apud Græcos classes ma-
 gni fa-*

gni facienda, vestra, nostra, & Corinthiorum: harum duas si in unum coire contemseritis, & Corinthij nos occupaverint, bellum navale cum Corcyrenibus pariter ac Peloponnesiacis geretis: At nobis admissis, plus navium habebitis, quibus cum hoste dimicetis. Plura de hac insulâ, incolarum moribus, & rebus gestis, apud eundem auctorem memorantur. In longitudinem, teste Plinio, passuum lib. 4. cap. 12. nonaginta septem mill. patet: hodie ambitum ejus centum milliaribus definiunt. Eam Veneti, ut est apud Jovium, adversus Turcarum rabiem strenue defende- lib. 36. histor. runt.

X X. Junii Buthrotum urbem in finibus Epiri sitam, Buthrotus quæ secundum Plinium XII. mill. pass. Corcyrà di- urbs. stat, prætervecti, ad montes Acroceraunios, tauris for- d. cap. 12. midabiles, indeq; in insulam Ragusam pervenimus. Montes A- croceraunii.

X X I V. Junii Apuliam vidimus, Dauniam inter & Apulia Dat- Calabriam sitam, mari Adriatico conterminam, quæ niorum. regio à duce, Diomedis socero, Dauniorum nomen accepit, ad differentiam alterius, quæ Apulia Peucetia appellatur, teste Plinio. Oppidum ibi exstat, castrum lib. 3. cap. 11. novum dictum, loci naturâ arteq; egregiè munitum. Castrū novū.

X X V I. Jun. urbem Durazo in Albaniâ Macedo- Dyrrachium. niæ sitam è longinquò vidimus?

X X V III. Jun. in Dalmatiam delati, præcipuas Dalmatia. regionis urbes eminus conspeximus, ut Cataro, Ragusam veterem, olim Epidaurum, è cuius à Gotthis dirutæ ruinis alia posteà exædificata fuit, quam hodie Ra- Ragusia no- gusiam novam vocant. Est hæc civitas, secundum Bo- va. dinum, omnium ferè totius Europæ minima, sed legi- lib. 1. de Re- bus æquissimis constituta. Cùm enim Ragusii ab Al- publ. cap. 2. baniæ regulis descivissent; purissimam & ab omni po-

lib. 2. cap. 6.

pulari temperatione remotissimam Aristocratiam instituerunt, Venetorū quodam modo exemplar sequunti, quorum more Duce pro libitu sibi eligunt: unde etiam Respubl. eorum Venetorum & Norimbergen-sium Rebuspubl. tanquam optimis, ab eodem Bodino comparatur. Quia tamen exigua admodum est, Venetorum favorem & amicitiam, contra Turcæ credo Tyrannidem, crebris donariis conservare studet. Ejus incolæ navium fabricaturâ admodum celebrantur.

Posthac Curcolam, Tamusicam sive Gazzolam, Augustam, Pharum vulgò Lesinam sive Lisnam, item Issam, & S. Andreæ insulas præternavigavimus, deinde promontorium Apuliæ olim Garganum, hodie S. Angeli dictum, & insulam Tragurium, cum aliis minoribus, Stoltâ, Binnâ, Veia &c.

Istria & Illyricum.

Zara. Pola.
Plin. lib. 3.
cap. 19.

Reditus Venetias.

Apparatus
ad bellum in
Hungar.

III. Julii Istria eiq; contermina Sclavonia sive Illyricum conspectui nostro occurserunt, Curicta item sive Pago, Apsorus, & Sansego insulæ. Vidimus etiam urbes Zaram & Polam, quarum haec à Colchis quondam condita, postea colonia facta fuit, & Pietas Julia appellata. Hinc mons Galiera prætereuntibus se ostendit, & oppidum Ruigno, quod centum milliaribus Italicis Venetiis abest.

VI. Julii Carniolam sive forum Julii prætervecti, tandem posterâ die Venetas salvi ac sospites, ingenti cum animi lætitia, reversi sumus, & sic VII. Julii iter nostrum Orientale ad felicem & optatum finem perduximus.

Venetiis autem hoc agentes, ut D E O Opt. Max. pro felici itineris successu debitas persolveremus grates, non contenti ore duntaxat litare D E O, sed facto quoq; ipso gratum animum erga tantam Numinis misericordiam

cordiam declarare gestientes, commodum accidit ut
illustris Comes Franciscus à Thurn ab Imperatore Ma-
ximiliano Venetias ablegatus, exercitum contra Tur-
cam, qui tunc temporis Hungariam bello premebat,
conscripteret, cui statim, zelo Ecclesiam Christi defen-
dendi, ego & SCHULENBURGIUS nomina dedimus:
jamq; equis bello aptis, aliisq; rebus necessariis in-
structi, XIX. Julii relicts Venetiis, iter nostrum in Au- Iter ex Italia
striam, viâ consuetâ, per Carniolam & Carinthiam su- in Austria.
scimus; de quo itinere, utpote vulgari plurimisq;
noto, multa annotare velle, supervacuum arbitror..
In Carinthiâ illud admiratus sum, quod incolarum Carinthia.
quidam strumas in gutture, quæ aliis populis dedecori
sunt & molestiæ, ipsi pro singulari corporis ornamen-
to habent.

Calendis Augusti Viennam ingressi sumus, urbem Vienna.
omnium, quas Danubius sustinet, & ædium magnifi-
centiâ, & facili rerum copiâ clarissimam. Hinc ego in
Hungariam inferiorem transiens, sub illustrissimo Co- Iter in Hun-
mite GUNTERO à SVVARTZENBURG in obsidione gariam infe-
Gomorræ & Raab eques cataphractus militavi: ab eo riorem.
verò, quia etiam Hungariam superiorem perlustrare In Hungari-
gestiebam, elogio seu testimonio vitae ad disciplinam am superio-
militarem exactæ honoratus, sub finem Octobris in ul- rem.
teriorem Pannoniam penetravi, ubi sub signis Fortissi-
mi ducis JOHANNIS RUBERI, Equitum præfecti Ge-
neralis, in castris propè Waronam, Hatvvar & Za-
rosch, in annum usq; sequentem millesimum quin- Ann. Sal. c. I. o
gentesimum sexagesimum septimum, militiæ operam I. o L X V I I .
dedi, quo anno Imperator Maximilianus Legatos ad
Selynum Sulimanni filium Constantinopolim, indu-
ciarum causâ, denuò misit, quæ anno sequenti in an-

nos octo confirmatæ fuere. Ego verò honestâ tandem missione exauctoratus, relictâ Hungariâ patriam versus viam ingressus sum, in quo itinere Poloniā & Bohemiam peragravi : quibus regionibus, utpote nobis vicinis, & quæ quotidiè à nostratis frequentantur, diutius inhærere minimè necessarium existimo ; sicq; tandem circa æstatem supra dicti anni M. D. LXVII Noribergam patriam repetii.

DEO Opt. Max. qui votum patris mei dilectissimi, CHRISTOPHORI FÜRERI p. m. firmum reddidit, hoc est, qui secundum Psalmum CXXI. (quem ille manu suâ exaratum, ut viaticum omnium optimum, abeunti mihi dederat) pedes meos labefieri non sivit, qui custos mihi fuit, quò minus Sol interdiu, & noctu luna vitam meam lasserit, qui animam meam tutatus est, & qui me & euntem & redeuntem custodivit, illi, inquam, JEHOVA & custodi Israëlis vigilantissimo, sit laus & gloria in omnem seculorum perpetuatem, Amen..

F I N I S.



INDEX.



INDEX.



A.

- Bana sive Amanus fluvi-
us. 100.
Abel Mitzraim. 79.
Absolonis monumentum. 57. seq.
Accaron quarta urbs Palæstinae.
48.
Acroceraunia. 2. 115.
De Ægypto & quanti eam fecerint
Romani. 4. Hodie quomodo Tur-
cis subjecta. 5. Ejus terminus u-
bi. 46.
Æthiopes offenduntur idololatriâ
Papistarum. 70.
Ætites lapides. 43.
De Agapis vett. Christianorum.
75. seq.
Alcanna. 11.
Alexandria à quo & quomodo con-
dita, que aëris ibi constitutio. 5.
que hodie ibi visu digna. 6. qui e-
jus situs & magnitudo. 6. 7. Ejus
muri aquæ. 7. De ejus incolis 12.
ubi peregrini divertere soleant. 7.
rare ibi pluviae. 5. & 13.
Anathot patria Ieremias. 50.
SS. Angelorum templum in tractu
Bethlehemitico. 68.

- Anikere pagus. 69.
S. Anna templum & monumentum
Hierosol. 57.
Anni tempus quale in Ægypto.
41. 43.
Anti Libanus. 102.
Apostasia cuiusdam Germani. 42.
De Apostata quodam proditore. 13.
S. Apostoli templum ad montem Si-
nai. 39.
Apsorus urbs. 2.
Apulia Dauniorum. 115.
Aquæ nigrae. 100.
Arabum humanitas in tractu
Bethlehemitico. 68.
Arimithæa urbs. 49.
Arnon torrens. 79.
Ascalon secunda urbs Palæstinae.
48.
Asphaltites lacus. 78.
Atzadi area. 79.
Athanasii Sepulchrum. 8.
Attalicus sinus. 109.
Aynsek urbs. 100.
Azotus tertia Palæstinae urbs. 48.
- B.
- Baalbeth urbs Syriae. 100.
Baldwi-

INDEX.

- | | |
|--|---|
| <p><i>Balduini Regis Hierosol. epitaphium.</i> 59.</p> <p><i>Balnea Alexandriae.</i> 13.</p> <p><i>Balsama Iudeæ propria quomodo in Ægyptum translata fuerint.</i> 21.</p> <p><i>De Balsami naturâ & ejus compensatione cum Ecclesiâ.</i> 22.</p> <p><i>Barici Gallorum mancipia.</i> 107.</p> <p><i>Βασιλόπολις.</i> 38.</p> <p><i>Bassa Turcarum quomodo legatos exterros audiat.</i> 28.</p> <p><i>Basse transitus consuetus per Cai- rum.</i> 30.</p> <p><i>Bassaro forum.</i> 9.</p> <p><i>Benedictionis vallis.</i> 68.</p> <p><i>Bethania.</i> 64.</p> <p><i>Beth-hagla.</i> 79. seq.</p> <p><i>Bethir pagus.</i> 69.</p> <p><i>Bethlehemiticum iter.</i> 64.</p> <p><i>De urbe Bethlehem.</i> 65. seq.</p> <p><i>Bethoron urbs.</i> 69.</p> <p><i>Bethphage villa.</i> 64.</p> <p><i>Bethsabor pagus.</i> 67. seq.</p> <p><i>Bethsaida oppidum.</i> 98.</p> <p><i>Bethsames vallis.</i> 49.</p> <p><i>Bethulia.</i> 99.</p> <p><i>Bezec pagus.</i> 67.</p> <p><i>Bibliotheca Ptolom. Philadelphi.</i> 9.</p> <p><i>Bolicolla pagus.</i> 67.</p> <p><i>Bombyces in Syria frequentes.</i> 101.</p> <p><i>Brundusium.</i> 2.</p> <p><i>Bubastis urbs.</i> 45.</p> | <p><i>Bulacum suburbium Cairi.</i> 14.</p> <p><i>Bullionei Regis Hierosol. factum memorabile.</i> 59. <i>Ejus epitaphium.</i> ibidem.</p> <p style="text-align: center;">C.</p> <p><i>Caiphæ domus.</i> 71.</p> <p><i>De Cairo ejusq; suburbij.</i> 14 & 17.</p> <p><i>Cairus in duas partes divisa.</i> 18. <i>e- jus magnitudo & quot ibi plateæ.</i> 17. <i>qualis constitutio aëris.</i> 20. <i>in- colarum habitus.</i> ibid. <i>palatum Sultani, Hippodromus, armamē- tarium, castellum.</i> 22. <i>quo sumtu peregrini ibi vivere possint.</i> 15.</p> <p><i>Cairi fructus mense Novembr. &c.</i> maturescunt. 41.</p> <p><i>Cales canalis Alexandr.</i> 7.</p> <p><i>Calogerimoniachi.</i> 37. 77.</p> <p><i>Calvariæ mons.</i> 60.</p> <p><i>Camelus mons.</i> 112.</p> <p><i>De Camelorum naturâ.</i> 35.</p> <p><i>Camelorum numerus Cairi.</i> 17.</p> <p><i>Campanarum nullus usus in Ara- bia.</i> 101.</p> <p><i>Candia.</i> 4 & 111.</p> <p><i>Canea urbs.</i> 111.</p> <p><i>Canna planta.</i> 42.</p> <p><i>Canopus urbs.</i> 44.</p> <p><i>Capernaum urbs.</i> 97.</p> <p><i>Capernaum fons.</i> ibid.</p> <p><i>Captivitas auctoris.</i> 81.</p> |
|--|---|

Carama-

INDEX.

- | | |
|---|--|
| <p><i>Caramania.</i> 109.
 <i>Carauana quid.</i> 15.
 <i>Carethypagus.</i> 94.
 <i>Carinthij strumas pro decore habent.</i> 117.
 <i>Carobe arbor.</i> 11.
 <i>Caroli Capellij monumentum.</i> 108.
 <i>Carpathus.</i> 111.
 <i>Cassia solutiva.</i> 10.
 <i>S. Catharinae martyrium ut Alexandrini referant.</i> 8. <i>Ejus cœnobium ad montem Sinai.</i> 36.
 <i>S. Catharinæ mons.</i> 39.
 <i>Cathia terminus Ægypti.</i> 46.
 <i>Cedri in Libano quot & quales.</i> 102.
 <i>Cedron torrens.</i> 63. 73.
 <i>Cephalenia.</i> 2. 113. seq.
 <i>Cerigo insula.</i> 113.
 <i>Christianorum templo & cultus Alexandriae.</i> 9.
 <i>Christiani in urbe Cairo quot esse dicantur.</i> 18.
 <i>Christianis Thoræ permissum Iudeos occidere.</i> 40.
 <i>Christiani variarum nation. & sectar.</i> in templo S. Sepulchri sacra faciunt. 62.
 <i>Cineralium dies.</i> 90.
 <i>Circumcisionis Christi locus.</i> 67.
 <i>De Circumcisione Turcarum.</i> 31.
 <i>Cison fluvius.</i> 95.
 <i>Clauda.</i> 4. 113.</p> | <p><i>Claudiani Poëta patria.</i> 44.
 <i>Cœnultima Christi.</i> 71.
 <i>S. Cœnam quomodo Græci administrent.</i> 74.
 <i>Cœnobium Christi.</i> 70.
 <i>Cœnaculum XL. patrum.</i> 38.
 <i>Collis miraculosus propè Cairū.</i> 28.
 <i>Colloquium Sangiaci de Christianismo.</i> 16.
 <i>Colossus solis Rhodi.</i> 8.
 <i>Colossi Cairos.</i> 19.
 <i>Columba literas ferre doctæ.</i> 44.
 <i>Columna Pompeij.</i> 12.
 <i>Comites itineris ad montem Sinai.</i> 33.
 <i>Compaternitas auctoris.</i> 90.
 <i>Corazim.</i> 98.
 <i>Corcyra, Corfu.</i> 2. 114.
 <i>Coronæus sinus.</i> 113.
 <i>Costæ regis palatum Alexandriae.</i> 8.
 <i>Cresphaurbs.</i> 2.
 <i>Creta.</i> 4 & 111. <i>de Cretensib. proverbium.</i> 112.
 <i>De Cypro.</i> 103.
 <i>Cyrilli sepulchrum.</i> 8.
 <i>Cythere insula.</i> 4. 113.</p> |
|---|--|

D.

- Dalmatia.* 115.
Damiata. 44.
Davidis latebra. 68. *Ejus Sepulchrum.* 72.

Q

Decalo-

INDEX.

- | | |
|---|---|
| <p><i>Decalogi locus.</i> 37.
 <i>Demmuige morbus.</i> 20.
 <i>Dettl pagus.</i> 47.
 <i>Dibau.</i> 28.
 <i>Diete mons.</i> 111.
 <i>Divitis epulonis edes.</i> 36.
 <i>Dothaim.</i> 98.
 <i>Dyrrachium.</i> 2.</p> <p style="text-align: center;">E.</p> <p><i>Ecclesia non vult regi tyrannice.</i> 22.
 <i>De Eclipsi Lunæ Äthiopum superstitione.</i> 35.
 <i>Edom.</i> 34.
 <i>Elisei fontes.</i> 80.
 <i>Emmaus.</i> 88.
 <i>Andr. Emon Legatus Venetorum ad Turcam.</i> 28.
 <i>Endor villa.</i> 95.
 <i>Engeddi mons.</i> 68.
 <i>Ephraim pagus.</i> 91.
 <i>Ephrata vallis.</i> 65.
 <i>Epidaurus.</i> 115.
 <i>Epiphanij monumentum.</i> 106.
 <i>Epirus.</i> 114.
 <i>Equitum Melitensium ordo.</i> 59.
 <i>Equites Hierosolymitani quomodo creentur.</i> 61.
 <i>Equorum numerus Cairi.</i> 17.
 <i>Equorum diligentissimam curam habent Turce.</i> 29. 30.
 <i>Esdrelonis campus magnus.</i> 94.
 <i>Eusebij monumentum.</i> 66.</p> | <p style="text-align: right;">F.</p> <p><i>Famagusta urbs.</i> 105. seq.
 <i>Ficus maledicta.</i> 63.
 <i>Fontes amari.</i> 34.
 <i>Fons aquarum.</i> 101.
 <i>Fontes duodecim.</i> 40.
 <i>Fons notabilis.</i> 99.
 <i>Franciscanorum cœnobium Hierosolym.</i> 51.
 <i>S. Francisci sepulchrū in urbe Nicostia.</i> 107.
 <i>Fructus in Ägypto mensē Novembr. &c. maturescunt.</i> 41.
 <i>Fua oppidum.</i> 14.
 <i>Füreri infortunia.</i> 35. 41. 81. 110.</p> <p style="text-align: right;">G.</p> <p><i>Gabaon urbs magna & regalis.</i> 89.
 <i>Gallorum jura Nicostia.</i> 107.
 <i>Garbini ventus.</i> 10.
 <i>Gariim mons.</i> 92.
 <i>Gaza prima urbs Palestinae.</i> 47.
 <i>Geboë mons.</i> 94.
 <i>Genzareth lacus.</i> 96.
 <i>Geon mons.</i> 89.
 <i>S. Georgij templum ad montem Sianai.</i> 39.
 <i>S. Georgij cœnobium.</i> 67.
 <i>Gerar patria Isaaci.</i> 46.
 <i>Gethquinta urbs Palestinae.</i> 48.
 <i>Gethsemani hortus.</i> 57.
 <i>Gibeon.</i> vid. Gabaon.</p> <p style="text-align: right;"><i>Gihon.</i></p> |
|---|---|

INDEX.

*G*ihon mons. 50. 89.

*G*oho insula. 4.

*G*oliathi patria. 48

*G*omorra. 78.

*G*oſenterra. 45.

*D*e Græcorum Religione. 74.

*G*ramen manu ſatum. 41.

*G*rues ut mare transvolent. 109.

*G*uldengroſchen. 20.

H.

*H*akeldama. 58.

*H*amar pagus. 99.

*H*anna Domus. 70.

*H*ebalmons. 92.

*H*eliae ſpecus. 37.

*H*eliae cœnobium. 65.

*H*eliopolis. 22.

*H*ermon mons. 94.

*H*ermonius collis. 95.

*H*erodis Palatium Hierosol. 57.

*H*ierichuntis rudera. 80.

*H*ieronymi monumentum. 66. ejus
imago opere naturali. ibid.

*D*e Hierosolymâ urbe, ejus conditore, ſitu, fortuna variâ, castello
&c. 50. seqq.

*D*e Hierosolymitano templo. 54.

*H*ydræ Canæ in templo Famaguſta. 106.

I.

*J*acobi Patriarchæ fons. 92.

*J*acobi Apost. templum. 62.

*J*acobi ult. Reg. Cypr. monumen-
tum. 105.

*J*affa urbs. 50.

*J*damons. 113.

*J*ejunia Turcarum. 32.

*J*ejunia Christianorum in Syria.
100.

*J*ezraël urbs. 94.

*J*lyricum. 116.

*J*nfortunia auctoris. 35. 41. 81.

S. Ioachimi monumentum. 57.

*J*oannis Baptiste templum in mon-
te Sinai. 38. Ejus desertum. 69. ejus
ſacellum ad Iordanem. 80. ejus
monumentum. 94.

*J*oannis Eremitæ rupes. 38.

*J*onica forma quæ. 12.

*J*oppe urbs. 50.

*A*d Iordanem iter. 77. de ejus prin-
cipio &c. 80 & 99.

*J*osephi Patriarchæ aula. 29. ejus
granaria. 18. ejus monumentum.
92. ejus puteus. 98.

*J*osephi B. Virginis mariti monu-
mentum. 57.

*J*osephus Arimithæus. 49.

*J*ovis Hospitalis templum. 92.

*J*ſraelis & Iudæ terminus. 91.

*J*ſtria. 116.

*J*turæa. 69.

*J*udæi præcepta ſua pro arbitrio ne-
gligunt.

INDEX.

- | | |
|--|--|
| <p><i>gligunt. 18. Eorum sepulchra Hierosol. 58.</i></p> <p><i>Judeos occidere Christianis Thorae permisum. 40.</i></p> <p><i>Judicia forensia Turcarum. 28.</i></p> <p><i>De judicio extremo fabula Turcarum. 63.</i></p> | <p><i>Mare Galilæa. 96. & in eo piscatio. 98.</i></p> <p><i>Mariæ matris Christi templum & sepulchrum. 57. ejus iter ad Elisabetham. 69. de ejus morte. 63. ejus templum omnium pulcherrimum. 65.</i></p> <p><i>Mariæ matris Ioan. Marci dominus. 70.</i></p> <p><i>Matare a urbs & ejus fons. 20. seq.</i></p> <p><i>Maydin quid. 15.</i></p> <p><i>Mecham ad Sepulchrum Mahometis quomodo eatur. 15.</i></p> <p><i>De Memphi. 18. 19.</i></p> <p><i>Merom lacus. 99.</i></p> <p><i>Methona urbs munitissima. 3. quomodo à Philippo Macedone, & quomodo à Turcis obsessa. ibid.</i></p> <p><i>Militiæ contra Turcam nomen dat author. 116. seq.</i></p> <p><i>Mini pagus. 97. in fin.</i></p> <p><i>Mole Caii quot. 17.</i></p> <p><i>Monachorum Græcorum ordo unus est duntaxat. 77.</i></p> <p><i>Mons Crucis. 105.</i></p> <p><i>Mons Domini. 97.</i></p> <p><i>Mons in quo Christus tentatus. 80.</i></p> <p><i>Mons offensionis. 58.</i></p> <p><i>Morbos Caii venti adferunt. 29.</i></p> <p><i>Mosis rubus. 36.</i></p> <p><i>Mulierum Turcicarum mores. 32.</i></p> <p><i>Mumia quid. 25.</i></p> |
|--|--|

L.

Larnica pagus. 105.

Lažari castellū & sepulchrum. 64.

Lebna pagus. 91.

Leproſi decem à Christo sanati. 94.

De Libano monte. 101.

Ligustrum Ægyptiacum. 11.

Limiso pagus. 109.

Lydda urbs. 49.

M.

Madianitarum strages. 94.

Magdala oppidum. 98.

Mageddon campus. 94.

Magorū cisterna & cultus. 65. seq.

Malea promontorium pericolosum. 113.

Mara. 35.

Marci Evangel. martyrium, & quomodo ejus corpus Alexandrinis per Venetos ablatum. 8.

De mari mortuo. 78.

Mare rubrum non est rubrum, & cur sic dictum. 34. ejus fossa ad Nilum. ibid.

Musica

INDEX.

Musica Græcorum. 77.

Mystagogi Hierosolymitani. 56.

N.

Nabothi vinea. 94.

Naim. 95.

Napolosa pagus. 92.

Nativitatis Christi locus. 66.

Navigatio auctoris adversa. 110.

Nautæ cujusdam casus. 109.

Nazareth oppidum. 95.

Neapolis castrum. 88.

Nicosia urbs. 167.

Nili aqua dulcis & potabilis. 17. de
eius origine, incremēto &c. 23. seq.

Nili chommatia in violabilia. 28.

à Nili piratis cavendum. 41.

Nobe civitas sacerdotum. 50.

Noribergensium Resp. à Bodino o-
ptimis comparatur. 116.

O.

Obelisci Alexandriæ. 11. eorum au-
tor qui. 12.

Obeliscus Solis. 22.

*Oculorum testimonium commovet
affectus.* 67.

Oliveti mons. 63.

Onophrij templum. 38.

Ophites lapis. 60.

Ostrabi ventus. 20.

Oves quadricornes. 112.

Ovorum furni. 30.

P.

in Palæstinam iter. 44.

Palæstine situs, urbes &c. 46. seqq.

*Palma Alexandriæ frequens, & de
eius naturâ.* 10.

Palma septuaginta. 40.

Pamphylia. 109.

Pantaleonis templum. 38.

Paphus urbs. 109.

*Papistarum idololatria offendit Æ-
thiopes.* 70.

Parentium oppidum. 2.

Pastorum villa. 68.

Pædæ auctoris. 67.

Patriarchæ Græcorum quatuor. 76.

*Patriarchæ cujusdam certamen cum
Iudeo de veritate Religionis.* 33.

Peloponnesus. 3.

Pelusium. 44.

Pestis annua Cairi. 20.

Petra aquam fundens. 39.

Pharus insula. 6.

*Pharus turris, & in ea ignes no-
cturni.* ibid.

Philippi vallis & lacus. 69.

Phitom urbs. 43.

Pilati domus. 56.

Piscina Bethsabæ. 64.

Piscina Probatica. 57.

Piscina Silohæ. 58.

*Pistoris cujusdam iniqui supplici-
um.* 22.

INDEX

- | | |
|---|---|
| <p><i>Pluviae Cairi rariſima, frequentiores Alexandriae.</i> 18.</p> <p><i>Pluviae rare in itinere Hierosolymano.</i> 100.</p> <p><i>Pola oppidum.</i> 2.</p> <p><i>Porcellana.</i> 42.</p> <p><i>Porta aurea Hierosol.</i> 57.</p> <p><i>Porta ferrea.</i> 70.</p> <p><i>Porta gregis.</i> 57.</p> <p><i>Porta judiciaria.</i> 56.</p> <p><i>Porta sterquilinij.</i> 63.</p> <p><i>Præsentia commovet affectus.</i> 67.</p> <p><i>Præsepij locus.</i> 66.</p> <p><i>Primogenitura jus inter Gallos in urbe Nicosiâ.</i> 108.</p> <p><i>Fr. de Priolis monumentum.</i> 105.</p> <p><i>De Proditore quodam apostata.</i> 13.</p> <p><i>Ptolomeorum regum Palatium Alexandriæ.</i> 10.</p> <p><i>Puerorum innocentium facellum.</i> 66.</p> <p><i>Pyramides è regione Cairi.</i> 26.</p> <p><i>Pyxidis nautica studium jucundum & utile.</i> 110.</p> | <p><i>De Religione Græcorum.</i> 74.</p> <p><i>Rethimo urbs.</i> 111.</p> <p><i>Reutericujusdam Germani humanitas.</i> 23. 43.</p> <p><i>Rodomontis pons.</i> 103.</p> <p><i>Rogel quercus.</i> 58.</p> <p style="text-align: center;">S.</p> <p><i>Sabacivitas sacerdotum.</i> 50.</p> <p><i>S. Sabæ cœnobium.</i> 73.</p> <p><i>Saccarum quomodo conficiatur.</i> 42.</p> <p><i>Sacella à S. Helenâ circa Hierosol. ædificata.</i> 60.</p> <p><i>Saguntini unde oriundi.</i> 3.</p> <p><i>Salamin urbs.</i> 106.</p> <p><i>Saline Alexandriae.</i> 10.</p> <p><i>Salomonis fons & hortus signatus.</i> 67. ejus sepulchrum. 72.</p> <p><i>De Samariâ.</i> 93.</p> <p><i>Samsonis palatum.</i> 47.</p> <p><i>Samuelis patria & sepulchrum.</i> 49. ejus templum. 88.</p> <p><i>Sangiaci Cairensis humanitas & colloquium de Christianismo.</i> 15. 16.</p> <p><i>Santoni qui dicantur apud Turcas.</i> 12.</p> <p><i>Sapheto.</i> 96.</p> <p><i>De Scaligero quodam historia.</i> 106.</p> <p><i>Scarpanto.</i> 111.</p> <p><i>Schulenburgius Füreri Comes & amicus fidelissimus.</i> 34. ejus infirmitas. 85. 86.</p> |
|---|---|
- Sebastæ*

INDEX.

Schaste urbs. 93.
Segor oppidum. 68.
Sepheta, Sephoris. vid. Sapheto.
De S. Sepulchri templo. 59. Sacello.
60.
De Sepulchro ipso. 61. in eo Christia-
ni variar. nation. & sectar. sacra
faciunt. 62.
De Sepulchris Turcarum. 25.
Siceleg urbs. 69.
Sichema urbs. 92.
Siliqua arbor. 11.
Silomons. 88.
Silohæ fons. 58.
Simeonis aedes. 70.
Simonis leprosi domus. 64.
Sinai mons. 37.
Sion mons. 89.
Sirbonis lacus. 45.
Sirenis pellis. 40.
Sittia urbs. 111.
Sodoma. 78.
à Solms Comitis Johannis sepul-
chrum. 9.
Sphynx Cairi rupi incisa. 27.
Spina Christi arbor. 36.
Statua nulla in templo S. Sepulchri.
62. & nulla apud monachos Græ-
cos. 76.
S. Stephani porta. 57.
Strophades insulæ. 3.

Strumas Carinthij pro decore ha-
bent. 117.
Sues oppidum. 34. 41.
Sur. 34.
Sycomorus Matarea. 21.
Per Syriam Damascenam iter. 99.

T.

Tanarus promontorium Pelopon-
nesi. 3.
Tanis, Taphnis urbs. 45.
Templum Hierosolymitan. nulli a-
perte Christiano introire fas est.
55.
Terebinthi vallis. 50.
Terræ motus frequentes in insula
Zacyntho. 3.
Thabor mons. 95.
Thecue mons. 68.
Theganusa insula. 3.
Thora urbs. 40.
Tiberias urbs. 96.
Trachonitis. ibid.
Tragurium insula. 116.
Tripolis. 100.
Turcarum judicia forensia. 28.
Turcarum fera ingenia donis pla-
cabilia. 71. Eorum fabula de ex-
tremo judicio. 63.
Turris Amoris. 103.
Turris Arabum. 4.

Turres

INDEX.

- | | |
|--|---|
| Turres Cæsaris. 9. | Viscum planta. 10. |
| Turris de lancea. 6. | Vituli aurei specus. 39. |
| V. | |
| Veneris dies Turcis festus. 32. | Zachariae filij Barachia monumen- |
| S. Veronicae ædes. 56. | tum. 57. seq. |
| Vesalij monumentum. 2. | Zachariae patris Ioan. Baptista do- |
| Via agri fullonis. 58. | mus. 70. |
| Viaticum auctori à patre datum.
118 | Zacynthus insula nemorosa. 2. de
ea oratio elegans T. Quintii ad
Achæos. 3. |
| Vienna Austriae. 117. | |

FINIS.



PRO-



PROGRAMMA
ACADEMIÆ ALTORFINÆ
PRORECTORIS

D. SCIPIONIS GENTILIS JC.

Quo Academiæ cives ad audiendam orationem
funebrem de vitâ & obitu FÜRERI invitavit.

Lodiernâ die Clarissimus & Excellen-
tissimus Vir ERNESTUS SONERUS,
Medicinae & Philosophiae Doctor pub-
licusq; Professor Orationem habitu-
rus est de vitâ & laudibus summi &
singularis Viri, Domini CHRISTOPHORI FÜRERI
ab Haimendorff, inclytæ & præpotentis Reipubl. No-
rimbergensis Duumviri, Senatusq; principis. Tan-
to nomine audito, non expectatis, opinor, vocem vel
cohortationem meam, ut ejus Viri commendationem
Virtutesq; cognoscere velitis, cuius vita omnibus pra-
sidio, mors acerbissimo luctui fuit. Etsi enim nulla
R tanta

tanta vis dicendi sit, quæ copiam exhaustire præclarissimarum laudum possit: tamen vel ipsa maximi viri commemoratio omnium, qui saltem humanitatis & beneficiorum sensu aliquo tanguntur, animos, quantumvis nuda, delectaret ac permoveret. Quæ res ac virtutes in quocunq; homine singula si conspicerentur, satis & ei decori, & alijs admirationi forent, ea in Christophoro Fürero convenerunt universæ. Quis enim illo, vel in omni vitâ moderatior, vel in Reipublicâ consilijs explicandis prudentior, vel patriæ clarissima amantior, acriorq; defensor ac custos, vel rerum cùm Germanicarum, tunc externalarum peritior, vel in suscipiendis periculis cautior, in subeundis fortior, vel deniq; hac civili doctrinâ, literisq; senatorijs instructior atq; ornatus unquam fuit? Iam pietas illa ergâ Deum singularis, sine quâ nemo bonus vel magnus dici potest, illa animi magnitudo atq; constantia, illa ergâ tenuescives misericordia, illa ergâ omnes comitas benignitasq; incredibilis ac penè divina, cui possunt esse ignota aut obscure, qui Civitatis Norimbergensis nomen auditione aliquando acceperit? Merito igitur, vel potius meritissimo omnes ordines, omnes etates eum dilig-

diligebant, colebant, suspiciebant. Merito, cum de eo palam factum esset, non secus ac ruinam quādam patriæ attoniti consternatiq; fuerunt. Ad hunc enim, dum viveret, tanquam ad aliquod salutare sidus oculis animisq; respiciebant. In hoc & leges præsidium, & libertas propugnaculum, & patria tutelam, & cives omnesq; boni arcem atq; aram fortunarum suarum, & hæc, hæc Academia patrocinium firmissimum præstantissimumq; habebant. Nemo unquam rem suam familiarem, nemo conjugem, nemo liberos ita amavit, ut illæ Remp. que sic sese in ejus gremium sinimq; contulerat, ut dijudicari non posset, uter utri charior esset, Fürerus Reipublicæ, an Res publica Fürero? semper industrius, semper intentus, nusquam à salute communi oculos deiciebat, atq; in vigiliâ illâ senatoriâ & consulari altissimâ constitutus, omnes Reipublicæ partes intuebatur & curabat. Neq; verò tanta virtutis præstantia civitatis se Norica continebat vel mænibus vel finibus: sed omnes Imperij Romani regiones pervagata, ad omnium pariter sive urbium sociarum, sive amicorum Principum, à quibus unicè amabatur & estimabatur, utilitates sese explicabat, & velut foras proieciebat.

R a

Leges

Leges constitutionesq; publicas in numerato, ut dici solet, habebat: plurima domi legebat, cum aliquid otij à publicis occupationibus nactus esset. Legationes in Imperio amplissimas gravissimasq; singulari cum laude & Reipubl. bono obivit: quodq; indicium alti atq; erecti animi semper judicatum fuit, adolescentis remotissimas provincias adivit, nationesq; cognovit, in ipsam deniq; Asiam Aegyptumq; penetravit. Quibus ex rebus tantis tamq; præclaris effectum est, ut cùm amplissimos honores, nec togatos solum, sed etiam militares domi forisq; summo omnium consensu esset & congratulatione consecutus, tamen maiores semper mereri videretur. Ita summus ille Vir, cuius mihi nunc os illud venerandum, & regi cujusdam decoris plenum ante oculos obversatur, maximarum virtutum gloriâ stipatus septuaginta cùm esset, in privatâ fortunâ Principum dignitatem adæquavit. Huic igitur si pro maximis ejus atq; immortalibus in Rempub. meritis digni honores reperiri possent, nemo omnium esset, præsertim nostrum, qui literas, qui humanitatem colimus, qui non certatim omnia ageret ac moliretur, ad ejus mortem memoriâmq; condecorandam. Nunc quoniam id fieri


nullo

nullo pacto potest, omnes summâ curâ eniti decet, ut
parentis publici Virtutes & beneficia gratâ memoria,
in quâ magnorum virorum gloria & vita posita est,
prosequantur, unq, ore in cælum ferant, & aliose a
prædicantes lubentissimè cupidissimèq, audiant, hoc
quidem maximè tempore, & præstantissimorum ho-
spitum, qui expectantur, coronâ. Quo officio vestro
ne dubitetis, quin vehementer rem gratam, cum ali-
is, tum in primis Nobilissº Senatori Dnº. Christo-
phoro Fürero facturi sitis, quem ille filium effigiem
morum suorum, Pietatis, Constantiae, Virtutis, Inge-
nij reliquit. Plura dicere nihil attinet, neq, mihi de-
corum est, ne vel exili stylo tantas laudes deterere,
vel de hodiernâ voluptate, quam ex acutissimi &
præstantiss. Philosophi oratione percepturi sumus, a-
liquid delibare voluisse videar. Valete & frequen-
tes in auditorium Iureconsultorum æris campani

signo dato adeste. P. P. 3. Junij Anno

Domini M D C XI.





ORATIO FUNEBRIS,

Quâ Strenuo, Nobiliss. & Amplissimo
Viro, D. CHRISTOPHORO FÜRERO ab Haimen-
dorff &c. parentavit ERNESTUS SONERUS Phil. &
Med. D. Altorfii in Auditorio JCtoruma d. 3.

Non. JunI, clo. Io. cxi.

Si quam sperarem vel dignam
CHRISTOPHORI FÜRERI virtutibus
laudem, vel parem laudi facundiam
posse reperiri, Auditores Generosi, Ma-
gnifici, Nobilissimi, omnium ordinum
præstantissimi, gravius sanè commoverer ac pertur-
barer animo, dum viro Nobilissimo in hoc augustissi-
mo vestro confessu exequiarum justa persolvere insti-
tuo. Vererer enim ne dum, quicquid de tam amplis,
tamq; illustribus ipsius rebus dixero, neq; pro dignita-
te satis ornatè, neq; pro magnitudine satis copiosè di-
ctum erit, ambitiosus vobis ac temerarius, in defun-
ctum etiam injurius magis quam pius & officiosus fu-
isse viderer, quod has partes aliis, qui me ingenio & di-
cendi copiâ longè superant, quasi præripuissem ac præ-
occupassem. At quem virum amisimus? nimirum e-
um, cuius tantæ tamq; præclaræ fuerunt Virtutes & or-
namenta, tanta in Rempub. merita, ut si deflendus sit,
nullum lachrymæ modum, si laudandus, nullum ora-
tio finem sit habitura. Quem virum amisimus? eum
qui non modò Nobilissimæ familie suæ decus fuit exi-
mium,

mium, sed patriæ ocellus, amor civium, principum
delitiæ, in cuius magnanimitate atq; prudentiâ suavif-
simè & saluberrimè conqueverunt. Quem dico vi-
rum amisimus? eum certè, cuius obitus non solum no-
bis, & patriæ universæ, sed bonis propè omnibus acer-
bissimus & intempestivus extitit, principum animos
afflxit, vicinos ac socios Reipub. gravissimè perculit:
quem hisce turbulentissimis tempestatibus, rebus tam
afflictis & penè prostratis deflent cives, luget Senatus,
desiderant nobilissimi Franciæ ordines, principes a-
missum conqueruntur, & undiq; omnia planctibus ge-
mitibusq; circumsonant. His de rebus tam magnis,
tamq; copiosis quisquis tam tenuiter sentit, ut eas non
dicam orationis stylo consequi, sed vel cogitatione
comprehendere posse speret, eum ego non modò no-
strum hunc FÜRERUM, sed & seipsum parum novisse
judico. Quod, quum vos intelligere sciam, præsertim
qui proprius illum novistis, & jam prospicere, nullius
esse tantam dicendi vim ac copiam, quin à tantarum
virtutum splendore & luce supereretur, non parum ani-
mi atq; alacritatis recipio, in eamq; spem erigor, fore,
ut quamvis jejuno & exili orationis genere suscepimus
munus exequar, Vos rerum gravitate ac magnitudine
inexplicabili potius, quàm infantiae meæ atq; tenuita-
tis culpâ accidisse, quod oratio rerum dignitatem non
exæquet, atq; idem cuilibet, quamvis exercitatissimo &
ad dicendū instructissimo necessariò eventurum fuisse
existimetis. Quanquam quid est quod magnoperè per-
turber? qui vitam & memoriam alicujus posteritati
commendare student, non aliter orationis pigmenta
& fucos consectari solent, quàm quum eum privatâ
magis pietate ac studio, quàm propter virtutis excel-
lentiam laudandum suscepérunt, rerumq; pulchritu-
dine

dine ac pondere destituti, argumenti tenuitatem phaleratā oratione sublevant. Nam ut pictores, dum res tenuiores ac viliores naturā suā depingunt, emblematis & periergis spectantium oculos fallunt, atq; operi gratiam conciliant; quæ verò naturā suā pulcherrimæ sunt, eas, quò magis conspicua sit pulchritudo, nudissimè exhibent: sic calamistratus & ambitiosus sermo dientis argumenti tenuitatem declarat, ut contra simplici ac solido orationis genere gaudet excellens virtus. Noster verò heros jam dudum tam copiosa, tam illustria laudum suarum ac virtutum trophæa posuit per omnium ora, ut haudquaquam aliundè mihi orationis ornamenta ambitiosè conquirenda sint, quam ex ipsius factis clarissimis: quodq; aliis studium esse solet, ut res mediocres verborum ambitu exornent & amplifcent, id mihi, & multò majus incumbit, ut res amplissimas & numerosissimas presio ac simplici stylo cogam: qui labor est aliis, ut, quid dicant, inveniant, is mihi, ut, quid in tantā rerum copiā & pulchritudine prætermittendum sit, seligam: quando omnino multame prætermittere & argumenti ubertas & patientia Vestra jubebit. Accedit, quod non tam mihi cendum est, ne, si sileam, ille non satis sit laudatus, quam, ne ipse ingratus dicar, si, cui cùm alis infinitis nominibus omnia, tūm studiorum meorum gratiā deboeo, erga eum defunctum hac qualicunq; ratione pium & officiosum sensum non declarem. Nam et si magna ipsius erga plures fuit benignitas, & prolixum de omnibus bene merendi studium, ut vix quemque sit reperi re, qui se ei debere non fateatur: in me tamen tot ac tanta ejus merita extiterunt, ut quoties de ijs cogito, ad silentium redigar, non ingratus beneficiis, sed magnitudine oppressus. Quæ caussa etiam est, ut tametsi alioqui

alioqui dicendo valerem, nunc necessariò deficerem, quum hæc cogitatio mentem perturbat, & linguam impedit dolor ex eo perceptus, quod quem vivum parentis loco habui, cuiq; corām gratitudinis declaracionem exhibere gestit animus, eum nunc defunctum lugere debeam, nec pro innumeris ac maximis beneficiis aliam mercedem reponere liceat, quām ut Virtus ipsius, quæ jam dudum ab ingloriis seculi tenebris ad æternitatis sudum eum provexit, saltem per me quoq; celata non sit.

Quamobrem quanquam minimè omnium possum, quia tamen maximè debedo Viro in omni virtutum genere summo hoc præstare officium, non quidem ut ejus laudes apud vos deprædicem, quas omni prædicatione majores esse intelligitis, sed ut Virtutes strictim percensem, quod pietas à me exigit, date quæso veniam mihi, & aures benevolas tribuite de ipsius vitâ breviter & simplicissimè narranti, atq; hoc cogitate, dannam vobis esse operam, ut non magis viventis conspectu ac fruitione, quām defuncti memoriâ & commemoratione virtutum delectati, nevè magis elegantiâ sermonis, quām rerum pulchritudine & præstantiâ induiti, ad audiendum confluxisse videamini.

Solent multi, dum illustrium virorum vitas in commentaria referunt, genus eorum, patriamq; & alia, quæ externa dicunt, tanquā aliena despicere: quorum ego institutum ut vituperare nolo, ita æquiori quādam ratione interpretandum esse contendo. Est enim, est certè aliqua vis originis ac sanguinis, eaq; tantò majoris roboris atq; momenti, quantò generosior ac nobilior est origo, à qua descendit. Unde Themistocles præclarissimus Imperator non ignobilem quidem se futurum fuisse confitebatur, si Seriphius natus

S esset.

esset. Ut autem accidit plantarum seminibus, quæ quò nobiliora sunt ac spiritu generosiori & vegetiori intus agitantur, eò etiam nobiliorem & pulchriorem effundunt fœtum, si bono solo committantur, sicuti contrà deformius monstrum producunt si infelici terrâ excepta sint; quæ verò ignobiliora ac humiliora sunt naturâ, eorum neq; adeò turpis est degeneratio, neq; tam eximia pulchritudo ac dignitas si finem consequantur: ita hæc vis, quam majores in nos propagatione transmittunt, quò sublimior ac præstantior est spiritus, à quo primitus emanat, quòq; meliores sunt, per quos longâ serie propagatur & confirmatur, eò etiam felicius comprehendit si in bonum solum incidat, & preciosiores fructus profert, quâm vis languidior & vilior eodem solo excepta. Qui igitur hæc generosa majorum semina vel per naturam pravè exceperunt, vel propriâ culpâ corruperunt aut extinxerunt, hi

*Senec, in
Herc. fur.*

— — si genus jactent suum,
aliena landant:

*Iuvenal, Sat.
8.*

Et vanum est — — — — — longo
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus
Majorum,
Si coram — — malè vivitur.

At verò qui eadem opimo ac fertili solo, eodemq; benè ac diligenter subacto & exculto comprehendunt, meritò illi gloriari possunt, quod quasi è meliori gene relectæ plantæ, feraci solo depactæ, honesta & liberali curâ adjutæ, natali quâdam prærogativâ & spe sublimioris virtutis præstent cæteris. Hæc prima felicitatis pars nostrum quoq; orbi peperit CH R I S T O P H O R U M. Est enim ut antiquissima, ita nobilissima ḡns FÜ R E R O R U M, qui in Alsatiā jam olim profecti apud Trībocos,

bocos, pōst Vangiones Nemetesq; domicilium con-
stituerunt, quod antiquissima monumenta, scuta gen-
tilicia & inscriptiones passim per templa & cœnobia
ijs in locis attestantur: donec tandem CUNRADUS FÜ-
RERUS filius Reinholdi, Consiliarii Rudolphi primi
Habsburgensis, patrem cum Imperatore ad comitia
Noribergam secutus, circa annum supra millesimum Anno 1274.
ducentesimum septuagesimum quartum, ibidem pri-
matibus patriciorum familiis sese inseruit, contracto
matrimonio cum virgine Pœmerâ, gentis pariter cla-
rissimæ & nobilissimæ. Exinde utpote genere nobiles
in Patriciorum Noribergensium censum relati, publi-
cis privatisq; rebus, bello & pace, tantâ cum laude tan-
tâq; cum utilitate patriæ præfuerunt, ut propter aucto-
ritatem, prudentiam, & insignem rei militaris periti-
am postmodum in Senatum legerentur. Hic nobis Si-
gismundos, hic Christophoros aliosq; dederunt patriæ
nostræ ornamenta, Senatus lumina, Reipublicæ fulcra,
inter quos, ut è plurimis unum commemorem, qui
primus CHRISTOPHORUS est cognominatus, avus
defuncti, trium Imperatorum consiliarius, Divorum
Maximiliani I. Caroli V, & Ferdinandi, apud Carolum
fratremq; Ferdinandum & cæteros Electores, propter
singularem prudentiæ, dexteritatis atq; integritatis
laudem, quam sub Maximiliano in expeditione Italicâ
contra Carolum VIII. Galliæ regem, itemq; in bello
Bavarico & Wirtembergico acquisiverat, tanto in ho-
nore & existimatione fuit habitus, ut unanimi horum
consensu ad Comitia Augustana Anno c I o. I o. xxx.
evocatus, gravissimis deliberationibus de Imperio ad-
hibitus, ac demum magnificis & splendidis muneribus
ornatus dimissus fuerit. Quin & antè, anno nimirum
c I o. I o. xxiiii. Carolus propter singulare consilium,

**Auff dessen
wort man ein
Thurn hett
bauens können.**

quod ipsi suggererat de Christiani Imperii finibus contra Barbarorum furores & impetus defendendis & propagandis, deq; pace & tranquillitate Imperio restituendâ, luculenta privilegia concessit, & insuper eum remuneratus est. Inter raras hujus Herois laudes silendum non est, quod vulgò linguâ vernacula de ipso communi quasi omnium voce à civibus jaētabatur, eum esse talem virum, cuius verbis turris posset inædificari: summam hoc dicto in verbis ipsius fidem, in probabilitatem, missis constantiam, in utroq; firmitatem & soliditatem inesse sciantes, ipsum vero justum & tenacem propositi virum (ut Flaccus loquitur) inter paucos reputantes. Hujus, ne sim prolixior, filius fuit C H R I S T O P H O R U S salter, Senator splendidissimus, qui quantum consilio & re posset, pro patriâ luculenter ostendit, cum Albertus Brandenburgicus illam obsidione cinxisset. Is porrò ex M A G D A L E N A Nobilis. & Amplissimi Duumviri Christophori T E T Z E L I I filiâ, præter filios & filias novem suscepit eum, quem nunc sermone nostro celebramus, C H R I S T O P H O R U M, & J A C O B U M, illum dico fratris æmulum, cuius non usum tantum felicissimæ indolis, & ad summa nati ingenii, verum etiam mortem & funus fata patriæ inviderunt. Nam cum Galliam & Italiam magno studio, perfectâ illarum linguarum cognitione acquisitâ peragrasset, in Iurisprudentiâ autem & eloquentiâ Latinâ ad omnium admirationem supra ætatem profecisset, adeò ut ingeniosi Germani cognomen Itali ultrò ei tribuerent, ac tandem incitatus gloriâ fratris cum legato Cæsareo Bartholomæo Betzio Byzantium abiisset, Anno c I o. I o. L X X X V; ibi biennio post funesta pestis in ipso ætatis florâ & cursu gloriæ eum obtruncavit, jamjam oratoris partes legationis istius Cæsareae in Turcia susceptum.

Ex

Ex his igitur majoribus atq; parentibus, C H R I-

S T O P H O R U S noster natus est Noribergæ, Año cIe. Ie. Natalis 1541.
xli, die Decembris quartâ, D. Barbaræ sacrâ, à quibus prid. Non.
statim in timore Dei & studio Virtutis ita educatus fu- Decemb,
it & institutus, ut jam tum generosi animi clarissima si-
gna daret, nec latére sineret, ex quibus esset ortus, fu-
turumq; testaretur, ut non tam ipse haberet, quod de
tam splendidis majoribus sibi gratularetur, quâm ma-
iores, quod ipsum progeniuerint, qui plus lucis & orna-
menti generi olim allaturus erat, quâm ex eo accepis-
set. Puerilem itaq; ætatem, quam eximia corporis pul-
chritudo juxta ac probitas & egregia animi indoles
commendabat, in litterarum studiis ita exegit Nori-
bergæ, ut mox parentibus curam aliò sese ablegandi
imponeret: quippè non poterat generosi spiritus im-
petus tam angustis metis adhærescere, sed ex hisce ve-
luti carceribus in patentiore virtutis campum emitti
gestiebat, quo concepta à majoribus semina, quibus ad
gloriam occultè stimulabatur, in maturitatem perfe-
ctiorem effunderet, seq; ad majorum rerum fastigia
libraret. Quare Argentoratum missus, ceu ad opulen- Iter Argenti-
tissimum quoddam liberalium artium emporium, ibi nense.
in Latinâ & Græcâ lingua tam feliciter progressus est,
ut nulli condiscipulorum cederet: præsertim autem
Græcæ linguæ studio mirificè fuit delectatus, (credo Græcæ lin-
quod jam tum animo conceperat Græciam invisere) guæ studium.
ut etiam in senectute illud non abjecerit, semperq; ini-
quior fuerit illis ἐνοενταύροις, quos Cyrillus appellat, qui
Græcæ linguæ imperitiam sibi tantum non gloriosam
ducunt. Quando verò neq; ibi animus suam descendit
cupiditatem satis explere posset, atq; indies uberiore
proventu sese efferret vis illa admirabilis, quam à tam
illustribus majoribus in se feliciter transmissam ætate

Iter Italicum. teneriore ostenderat, Italiam adiit, ubi clarissimis illo:
Anno 1562. rum temporum J C T I S, aliarumq; facultatum & di-
statis suæ 21. sciplinarum excellentissis viris Patavii, Bononiæ, Me-
diolani, Senis, & Romæ operam studiumq; suum dica-
vit, inter quos immortale illud literarum decus, M.
M. Ant. Mu- Antonium Muretum, quem Romæ docente*et* audi-
retus. vit, commemorare è multis libet, & Hieronymum
Hieron. Car- Cardanum, virum multiplici doctrinâ quam famâ ma-
danus. jorem, cuius auditor Mediolani fuit. Hic jam profun-
dius animo volvere, atq; considerare diligentius cœ-
pit, quæ virtus majorum fuisset, quid ab se illis debere-
tur, quodq; Patriæ bono natus esset, in qua Rempub.
fibi capeſſendam esse augurabatur: quare non ampli-
us in umbrâ & ocio sibi delitescendum, neq; rerum
gerendarum peritiam ex solis libellis petendam, sed in
solem & aciem sibi prodeundum esse censuit, quæ le-
gisset, oculis usurpare, quæ audivisset, reiplâ experiri,
usu rerum fidem earum probare, ac seipsum aptiorem
Reipub. experientiâ reddere voluit. Intelligebat enim
pro admirabili ingenii sagacitate, prudentiam rerum
gerendarum niti atq; incedere duobus veluti cruribus,
Cognitione & Experienciâ, quarum alterâ deficiente,
& præsertim experienciâ, claudicare eam necesse fit.
Invitabant eum exempla Majorum, quos non magis
eruditio atq; scientia multiplex, quam singularis agen-
di dexteritas usu comparata evexerat. Audiverat à re-
rum imperitis Rempub. facilimè in scopulos intrudi
posse. Legerat in sapientum monumentis, nihil esse
experienciâ sapientius, judicio Tafsi apud Stobæum:
non esse bonum belli ducem, quem nunquam tuba cir-
cumsonuisseſſet, ut Eudamidas apud Plutarchum dice-
In Adelphis. bat, quum juxta illud Comici:

— usus ſemper aliquid adportet novi,

STOBIUS.

Aliquid

*Aliqnid admoneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias:
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.*

Unde etiam Demades Orator nullo meliori præceptore se usum fuisse profitebatur, quam Atheniensium tribunal. Et sanè tanto major est vis experientiæ, quam scientiæ, quanto plures sine literis solo rerum usu edocti, laudabiles Reipub. rectores extiterunt, quam qui solâ scientiâ freti, destituti autem experientiâ, ad eam gubernandam accesserunt. Lacedæmoniorum certè Respubl. haud aliâ de causâ firmior ac durabilior Atheniensium Rep. fuit, quam quod illi rebus agendis, Athenienses autem sapientiæ studiis essent intentiores ac magis dediti. Etsi enim negare nec volo, nec possum, præclarâ sapientissimorum hominum instituta & facta literarum monumentis contineri, quibus plurimum ad usum promoveamur, illud tamen vicissim mihi dari postulo, & dabitur, ut spero, facile, scientiam quam ex libris percipimus, vim demum & quasi vitam acquirere usu & experientiâ, cuius spiritu prudentia vigeat; semperq; vidisse quam audivisse, interfuisse quam cognovisse, fecisse quam legisse pluris fuisse æstimatum. Hoc ille apud animum suum reputans, quod is demum perfectus vir siet, qui omnes numeros expleverit; eam, quam prioribus annis cognitionem diligentî studio acquisiverat, usu magistro confirmare perrexit. Ex Italiâ in Siciliam, inde in Me- Iter Siculum, litam insulam navigavit, anno ætatis suæ vicesimo ter- Melitense. tio, ibiq; militiæ nomen dedit adversus immanem Christiani nominis hostem, in quâ sive excursionibus navalibus laceſſendus aut persequendus esset hostis, si- ve insula contra ipsius insultus propugnanda, tam se Tyrocinium præbuit strenuum & fortē, ut tum non obscurè o- militare. stenderet, quantum præsidii in eo sibi positum fore, pa- tria

tria sperare deberet. Postquam h̄ic, quæ in disciplinâ militari notanda, nec non & cætera in Repub. quæ usui aliquando patriæ fore putabat, fideliter comprehendisset, ijsq; sese exercuisset; ad alia ardor animi ipsum vocavit. Sentiebat, ut non quævis terra profert omnia, ita hautquam ex uno loco peti omnia posse, quibus consummatus in Repub. vir evaderet. Et quia nec vili loco se natum, nec vulgaria vel expectari à se sciebat, vel dare ipse putabat dignum, non intra vulgares & plurimis usitatos terminos sibi consistendum esse duxit, sed progrediendum ultra communem hominum audaciam, & ea loca adeunda terrā mariq;, ad quæ humilior spiritus accedere aut prohiberetur metu, aut infirmitate non sustineret, propter ardua impedimenta & difficultates innumeras, quas ille alaci animo superandas sibi proposuit, memor illius,

*Explorant adversa viros, perq; aspera duro
Nititur ad laudem Virtus interrita clivo.*

In primis autem pietas & reverentia illorum locorum, quæ dulcissimus Salvator noster, ejusq; divini præcones pedibus calcârunt, & in quibus primò vox divina sonuit, acribus assiduè stimulis pectus ejus fodiebant; quare Venetias reversus cum Nobilissimo juvene, ALEXANDRO à SCHULENBURG, quem etiam in Me-

Iter Ægypti- litâ commilitonem habuerat, datâ ultro citroq; fide de comitatu & communî itineris fortunâ constanter subeundâ, navem ibi concessit, ac Deo ventisq; faventibus in Alexandriam Ægypti solvit, die 21. Julii, 1565 anno, ætatis 24: quòd cum pervenisset, à consule Regis Galliae Francisco Guardiola, cui per literas unâ cum comite SCHULENBURGO commendatus erat, humaniter & honorificè fuit exceptus. Hinc Cairum

sive

sive Memphim perrexit, urbem toto orbe miraculis
famosissimam, ubi spectatâ prius suspendâ Pyrami-
dum mole, atq; ijs, quæ tum ad mores & religionem,
tum ad Reip. statum pertinebant, diligenter notatis,
inde per Arabiæ deserta ad montem SINA contendit, Iter Arabi-
& progressus ulterius universam Syriam, Palæstinam, cum, Syria-
& adjacentes regiones peragravit. Dies complures non cum &c.
sufficerent, si singula loca recensere vellem, quantâ de-
votione adierit terram sanctam, quam curiosè omnia
sanctoris antiquitatis monumenta perscrutatus sit,
quid Hierosolymis ad S. sepulchrum, quid Damasci,
quid Tripoli, quid Bethlehemi, quid in monte Sinai,
Horeb, Libani, Calvariae, ad mare rubrum, ad Ior-
danem, aliisq; innumeris locis, quorum vel sacræ pa-
ginæ, vel prophani Scriptores meminerunt, viderit,
quid ibidem ipse egerit, quid perpessus fuerit. Non
hæc orationem, sed commentarium postulant. Hoc in
summâ scitote, Auditores, multas maritimæ Afriæ &
Africæ urbes, & maris mediterranei Insulas eum visi-
tas, nullum Palæstinæ oppidum, nullum vicum, nul-
lam domum usq; ad mare mortuum, ipsasq; Sodomas
ab ipso esse præteritam, in qua vel antiquitatis aliquid,
vel admirandæ novitatis fuerit: omnia inquisivit, o-
mnia pervestigavit, nihil ipsi invium, nihil inaccessum
fuit, nulla tanta objecta difficultas, quam non excelsior
animus superaret. Neq; verò ista spectavit tantum, sed
& consideravit, quæ digna videbantur & usui aliquan-
do sibi futura, literis consignavit, urbes, castella, mu-
nimenta delineavit, mores ritusq; hominum varios
diligentissimè observavit atq; in librum confecit. Eo-
rum quæ ipsi acciderunt in tam longo tamq; pericu-
loso peregrinationis cursu, quem nemo Vestrum, ar-
bitror, Ulyssis erroribus non ad æquandum unà me-

T cum

cum putet, ex infinitis unum aut alterum audire, quæso, ne Vos pingeat. Illud mihi aternâ memoriâ ac laude dignissimum inter cætera semper fuit visum, quod pietatis ipsius erga D E U M & ardoris Zeli illustre continent argumentum: quum per Arabiæ desertæ loca asperrima ad montem Sinai molestissimis laboribus contendisset, admiratus interim loca divinis miraculis populo Israëlitico exhibitis nobilitata, quæ ibi vel vora, vel non procul veris ostendit curiosa religio, quumq; maris rubri tum reflui sinum quendam partim vadasset, partim natando trajecisset non sine periculo, quod pedem allisum ad Corallum graviter vulneraverat; recreatus memoria, quod potenti brachio undis illis deductis, & utrinq; in murorum soliditatem firmatis D E U S populum suum olim traduxisset, tandem eluctatus & in ipsius Sinai cacumine constitutus, sensit quasi novâ pietatis flammâ pectus sibi accendi, & veneratione eorum, quæ ibi divino ore gesta atq; edicta meminerat, ex lætitia in consternationem datus fuit. Utq; pium hunc affectum testatum faceret, unâ cum nobilissimo comite S C H U L E N B U R G I O sublatâ voce D E U M laudavit, decemq; præcepta, eclogen justitiæ divinæ, fontemq; omnis divini & humani juris continentia, germanicis rythmis devotè decantavit. Nempè justum ipsi videbatur, ut ex quo loco Jehova stupendâ majestate cum fulgure & tonitru horribili ea detonasset, eo humiliter se illa excepisse & didicisse declararet: ut ubi primo Jehova cum solemnitate inusitatâ voluntatem suam lapideis tabulis divino digito insculptam mortalibus aperuisset, ad eamq; omnes adstrinxisset, ibi obsequii aliquod documentum daret. Et hoc quidem jucundius ipsi factu, quam nobis auditu gratum fuit. Illud verò & calamitosum ei accedit,

dit, & commiseratione fuit dignum, quod rediens ex
Iordane Hierosolymam cum SCHULENBURGIO &
tribus aliis comitibus, in robustissimorum & impro-
bissimorum prædonum Arabum manus incidit, qui
eos venum abducere constituerant in abdita deserti,
nisi oblato redemptionis precio antevertissent, quod
cùm prædonū nonnulli, adjuncto sibi uno ex captivis,
petitum ivissent in monasterium Sabam, ad torrentem
Cedron posatum, relictis duobus in deserto ad custodi-
endum captivos nostros, nostri animoso impetu eos
aggressi alterum occiderunt, alterum in fugam conje-
cerunt, ipsi vero dispersi per desertum, & infortunio
separati, pars Hierosolymam redierunt, pars pervene-
runt Sabam, inter quos fuit FÜRERUS. Huc cum per-
venisset, præter vulnus quod pectore exceperat, novus
eum coxit dolor desiderato SCHULENBURGIO fidif-
fimo comite, qui in deserto oberrans vitamq; proprio
lotio producens, tandem operā pastoris cuiusdam Ara-
bis Sabam reductus fuit. Curato vulnere Hierosoly-
mam reversus, dum ibi lustrat Sepulchrum Salvatoris
nostrī, sponsor ac testis adsciscitur in baptismo filiæ
cuiusdam Christiani Armeni, maris Caspii accolæ: in- Compater-
fanti Mariæ nomen est impositum. Sæpè etiam testa- nitas.
batur se vix ullâ re magis fuisse delectatum, ac montis
Calvariæ conspectu, quo satiari nunquam potuerit, re-
cordatus quod eo loci Redemptor noster sanguinem
suum innocentissimum pro peccatis nostris fudisset;
quod Evangelicam doctrinam, quam ex patris sinu ad
nos præco detulit, fœdusq; novum, quod mediator
Dei & hominum nobiscum pepigit, ignominiosissimâ
morte crucis ibidem confirmasset & obsignasset, ut
nos ad æternam & immarcessibilem hæreditatem ad-
duceret.

Iter Tripoli-
tanum.

Sed ne diutius Vos morer, sequor redeuntem.

Hierosolymis Tripolim Syriae profectus, consenserat
ibi navi, Cyprum adiit, ac però litus Asiae legens, Ci-
liciae montes, Asiam minorem sive Caramaniam, Pam-
phyliam, sinum Attalicum, Chelidonias insulas præ-
tervectus, Cretam, Cytheren, Cephaleniam, Corcy-
ram, aliasq; innumeras interjacentes insulas appulit,
perlustravit, ut & nobiliora maris Adriatici loca, regi-
ones, urbes. Tam iniquâ verò in isto redditu usus est
fortunâ, ut tum magis, quâ unquam aliâs de vitâ de-
sperare cogeretur: præterquam enim quod pestis ex
putredine aquæ dulcis, quâ in potu utebantur, jam sæ-
viebat in pecudes, quas ad victum in navi asservabant,
& mox stragem minabatur hominibus, ecce exoritur
sævissima maris tempestas, in qua luctantibus ex adver-
so ventis & in navis eversionem conspirantibus, nunc
Notus, nunc

— — stridens Aquilone procella,

Velum adversa ferit, fluctusq; ad sidera tollit.

Hâc dum totos aliquot dies noctesq; continuè ja-
stantur dubiâ fortunâ, nunc in Africæ Barbariæq; oras,
nunc ad Asiæ litus repulsi, & jam animus pariter atq;
consilium nautas destitueret, Fortuna etiam in extre-
mis magnitudinem animi & constatiam FÜRERI no-
stri tentare voluit. Persuaserat nautis, nescio quæ mala
mens ac supersticio, nostrum FÜRERUM cum comite
SCHULENBURGIO (fortassis quod parem cum illis in-
saniam non insanirent, neq; in tanto rerum discrimi-
ne vota fictitiis Diis, aut Sanctis nuncuparent, sed spem
omnem atq; fiduciam in uno vero DEO ejusq; Christo
ponerent,) esse tanquam hæreticos illius tam implaca-
bilis tempestatis causas, quos scilicet ultio divina, ut in-
dignos vitâ, perdere vellet: quare consilium inierunt

de ijs

de ijs occidendis, eorumq; sanguine mari litandum censuerunt, nec alia ratione placari illud posse crediderunt. Verum Deus, qui ad majora FUREM nostrum destinaverat, represso illorum furore, mirabiliter eum servavit, salvumq; reduxit Venetias mense Julio, Anno c. I. I. LXVI, exacto integro anno in illâ profectione Orientali. Atq; sic tandem,

Per varios casus, per tot discrimina rerum,

in Italiam regressus, grates in primis toto pectore persolvit DEO, quod ex tot tantisq; periculis clementer ipsum eripuisset, atq; incolumem in portum reduxisset. Et ut hanc suam pietatem & gratitudinem maioribus argumentis demonstraret, Italiam deserens in Ungariam abiit, ibiq; aliquot equis cataphractis contra Iter Ungarimmanissimum hostem, jam tum Christiano sanguine cum. cruenta arma quatientem, & funera in nos spargentem, strenue militavit sub sacratissimæ memorie Imperatore Maximiliano II. Ex Ungariâ per Polonię & Bohemię rediit Noribergam, in patriæ usum ex- Anno 1567. positurus preciosissimas illas ingenii merces, quas tot annorum studio, tot pericula subeundo, tantis laboribus exhaustis ac superatis acquisiverat. Sensit hoc Senatus Amplissimus, & quid ab eo expectare deberet, clarissimis indicis cognovit, ideoq; ut primùm nuncio liberiori vitæ remisso,

Conjugij subiit leges & frena momordit,

eum sibi ordinis sui honoratissimi collegam adscivit, in Senator fit quâ dignitate ita se gessit, ut deinceps omnes honorum gradus ad summum adipisceretur, nec quicquam in Repub. tam amplum esset, quo non ille dignissimus judicaretur. Omnes magistratus in urbe gessit Scabinus secretioris senatus electus est non sine fausto omne

T 3 . Anno

Cometa.

Anno c I o. I o. LXXII, quo tempore nova in Cassiopeiae sidere stella illuxit, quam haud scio an quisquam in urbe ipso prius conspexerit, aut observárit: quicquid enim illa aliis orbis partibus portenderit, nostræ sancè patriæ novum hoc & benignum in Senatu sidus exortum esse eam cælitùs denunciasse, eventus com-

**Tres soles &
tres irides.**

probavit. Tribunus militaris in Senatu designatur die IX. Aprilis Anno c I o. I o. LXXXIII, ea ipsa horâ, quâ tres in æthere Soles apparere visi, totidemq; Irides, quod ostentum quoq; magnam de F U R E R O nostro spem nobis præfigiisse lubens interpretor & agnosco. In eo ordine supremam postea dignitatem consecutus est, ut & in ædilitate, quæsturâ, præturâ, duumviratu & aliis senatoriis muneric⁹ sublimioribus, eamq; quo-ad vixit obtinuit ac laudatissimè gessit.

Non substitit autem ejus gloria & honorum amplitudo intra civitatis muros, sed latius sese diffundens atq; efferens, principes quoq; & statu extraneos allexit; ut propter authoritatem ejus summam, prudentiam atq; experientiam multiplicem, non modò literis & corām ei gratularentur, sed ipsi quodq; certatim honores & munera in eum conferrent: unde etiam Nobilissimi Francici Circuli Ordines unanimi consensu

**Anno 1596.
die 18. Nov.**

& voto à consiliis in re militari eum sibi constituerunt. Quod si hîc per singulos actionum ipsius, & quod Græci dicunt, τρεις καλοὶ gradus incedere vellem, finem dicendi nullum invenirem. Strictim tamen & quasi in genere de virtutibus ipsius quædam attingenda sunt, quæ ut benignis auribus, sicuti hactenus fecistis, accipiatis, obsecro vos & obtestor, Auditores. Ante omnia verò pietas ipsius erga D E U M celebranda venit. Quoniam ita educatus fuerat, ita didicerat, ita sentiebat, in

D E U M

DEUM esse auream illam catenam, quā cūm cœlesti-
bus terrestriā copulantur, esse omnis virtutis semina-
rium, ut D. Ambrosius loquitur, esse scalam illam, cu-
jus gradibus in cœlum ascendimus, esse gubernacu-
lum, quo Christo gubernatore & quasi proretâ cursus
velificationis nostræ, inter Syrites & scopulos hujus
mundi, ad immortalitatis portum dirigendus sit; o-
mnes ab ineunte ætate actiones suas in timore D E I au-
spicatus est juxta illud: δέχην απάντων καὶ τέλος ποίει Θεόν:
nihil pietatis studio prius, nihil antiquius habuit, &
quantum humanitus fieri potuit, operam perpetuò de-
dit, ut illæsam erga D E U M conscientiam servaret. Cu-
jus rei argumentum luculentissimum esse potest, quod
cum Hierosolymis ad S. sepulchrum ad Synaxin solli-
citaretur, atq; aditus ei pateficeret ad sacræ militiæ Hie-
rosolymitanæ dignitatem equestrem, quam monachi
pro more ibi sub certis conditionibus conferunt, u-
trumq; detrectavit, non tam quod à monacho natali-
um splendorem dedecorari nolebat, quām quod si il-
lam recepisset, ad superstitionem & impuram religio-
nem contra adversarios vel propriis fortunis propu-
gnandam & propagandam juramento sese obligare
debebat. Ante enim cum SCHULENBURGIO conve-
nerat, moriendum esse potius, quām ut tam gravi scele-
re hypocrisis & violatæ fidei sese obstringeret. Quam-
vis non minus honoratus inde discesserit; nam præter
equestrem spiritualis militiæ coronam, quam ista con-
stantiâ atq; sinceritate sibi apud DEUM reposuerat, hoc
insuper est consequutus, ut quem à monacho Equitis
Hierosolymani titulum accipere renuerat, à S. Cæ-
fareâ Majestate, ceu superiori numine, non petitum, Rudolph. 2.
sed ultrò delatum & usurpatum accipere & agnoscere
deberet. Effulsit etiam ejus pietas ex eo, quod in toto
itinere

Itinerarium
auctoris.

itinere terræ sanctæ sacra Biblia minori formâ secum circumtulit, nullumq; loci vestigium, cuius sacræ literæ mentionem faciunt, oculis usurpavit, cuius vel historiam, vel descriptionem præsens statim ex ipso Bibliorum libro non annotarit, id quod Itinerarium ab ipso conscriptum luculenter satis demonstrat. Præterea illud quoq; pietatis ipsius argumentum non vulgare est, quod vix ullam in Senatu de re gravi facile dixerit sententiam, quam non ab auxiliis divini imploratione exordiretur, & pio voto concluderet. Et quamvis usq; adeò fuerit Φιλομαθῆς, ut nullam scientiam, nullam disciplinam, nullam artem intactam & illibatam relinququeret, in primis tamen sacrâ lectione fese deletavit, persuasus non succulentiore alio pabulo animum refici, non oculos jucundiore spectaculo pasci posse, quam lectione sacrarum scripturarum; nec prius membra quieti concessit, secundum Hieronymi præceptum, quam calathum pectoris hoc quasi divino subtegmine implevisset, & hoc Domino suo pensum reddidisset. Conciones sacras audiebat studiosè, & acutè dijudicabat, subinde cupiens, & cùm haberi poterant, auctoritate atq; suffragio suo promovens tales concionatores, qui sacras scripturas sincerè exponerent, non ad propriam ambitionem, sed ad Dei gloriam conciones suas instituerent, & laudabilis vitæ exemplo auditores ad se pertraherent. Oratio enim factis ipsis confona facilè sedem & assertionem meretur: quibus rebus qui destitutus est εἰρῶν μᾶλλον ηγε πατήσο-
εθεῖστε δοκεῖ, hoc est, simulator potius & sui ipsius accusator, quam bonus populi Doctor esse videtur. Et rectè Nazianzenus, qui benè docet, & malè vivit, is unā manu ædificat, & alterā destruit. Talis fuit ipsius erga D E U M pietas. Non minor in pauperes, cuius rei testimo-

testimonia si quis velit, adeat nosodochia nostra, quibus ille præfuit, quærat in foro, repeat ex viduarum & orphanorum domibus. Nullâ re minus sibi satisfacere potuit, quâm benefaciendo pauperibus. *Non ignarus mali, miseris succurrere didicerat*: noverat etiam manum pauperis esse Abrahæ sinum, cœloq; reponere quod suscipit, ne in tœrrâ pereat. Ac licet sæpè immodicis sumptibus & expensis vires ærarii publici ob temporum injuriam acciderentur & enervarentur, id tam per perpetuò cavit, ne gravioribus exactionibus cives onerarentur: quâ re etiam tantam apud omnes benevolentiam & amorem sibi peperit, ut Pater Patriæ vivus audiret, ac nemo esset, qui vel ad nominis solum commemorationem, aut conspectum ipsius, totus non exultaret, ejusq; Magistratui lingua animoq; faveret, ac benè precaretur.

Jam qualis in officiis publicis fuerit, quâ moderatione animi, qua prudentiâ atq; sedulitate usus sit in omnibus, quis est qui ignoret? Nullum unquam inibat magistratum, in quo non modò omnia, quæ ab ipso expectabâtur, sed etiam plura atq; majora, quâm quisquam aut optare, aut sibi fingere ausus fuisset, præstare videretur: adeò semper ejus in regendo sapientia, Senatus in ipso eligendo judicium comprobavit. Nihil temerè, nihil præcipitanter egit, sed maximam semper circumspectionem & cautionem in omni actione adhibuit, ut verè dicere liceat, non magis Romam Fabio suo, quâm Noribergam F U R E R O nostro fuisse salvam & felicem. Nemo futurâ acrius conjectabat, nemo conjecturâ minus fallebatur, nemo rectius consilia disponebat, aut majori dexteritate exsequebatur: quo nomine non solum patriæ, sed & exteris ordinibus & principibus viris charus fuit, qui ad ipsum tanquam ad

Catonem aut Periclem aliquem consilii capiundi cau-
ſā in rebus dubiis confluebant, aut ad ſe illum evoca-
bant: nec vereor dicere, propter ipsum Rempub. no-
ſtrā tam apud Magnates Imperii, quām apud inferi-
oris conditionis homines in honore & admiratione
majori fuſſe habitam. Legationes innumeras obiit ad
Comitia, ad conventus Civitatum, Deputatorum Im-
perii, ad Cæſarem, Electores, Principes, cæterosq; Im-
perii ordines, in quibus talem ſe præbuit, ut & Reipub.
commoda cum dignitate tueretur, & ſimul omnium
ſtudia & voluntates facilē promereret. Sacra quidem
Cæſarea Majestas tanto ipsum favore complexa eſt, ut
ad colloquium illum admiferit, in arduis Reipub. ne-
gotiis legatum benignè audiverit, clementiſſimè ei
reſponderit, & privilegiis magnificè ornatum dimiſe-
rit. Non minorem apud Electores gratiam consecutus
eſt, cūjus indicium illustre, quod Reverendissimus &
Illiſtrissimus Princeps Dn. Johannes Adamus, Archi-
episcopus Moguntinus, & S. R. I. Elector, eidem debi-
tam ſibi ratione Archicancellarius Germanici benè
magnam pecuniæ ſummam, ob confirmata à S. Cæſ.
Majestate nobilitatis antiquæ, armorū gentilitiorum,
denominationis & primogenituræ ſive majoricatus
(ut vulgò vocant) jura, in legatis prædiorum hæredita-
riorum familiæ, raro liberalitatis exemplo, admiratio-
ne quadam tacitâ Virtutis remiſit. Quoties negotia
publica urgebant, poſthabitis privatis, in eorum expe-
ditionem incubuit impransus, incoenſis: atq; haut ſc̄io,
an unquam quisquam fuerit, qui tantâ alacritate &
constantiâ labores tolerarit. Nullum onus detrectavit,
omnia pro Republica ſubiit, aliis ocium, ſibi negoti-
um parare ſtudens. Non ignorabat quod Seneca ad
Lucilium ſcribit, magnam vitæ partem elabi malè a-
gentibus,

gentibus, maximam nihil agentibus, totam aliud agentibus: quapropter tempus parcissimè dispensabat, et lumbis ocii hostis acerrimus. Quicquid à Reipublicæ negotiis subsecivi temporis fuit, id vel in studia impedit, vel in inquirendis, inspiciendis, & cognoscendis Civitatis privilegiis, pactis cum vicinis, litibus, transactiōnibus, juribus & consuetudinibus exegit, idq; tanto studio & sedulitate, ut licet antemeridianum tempus in Senatu consumpsisset, qui laudabili & singulari patriæ nostræ more singulis profestis congregatur, nullum tamen diem prætermiserit, præsertim antequam ad Duumviratus fastigium esset evectus (nam tum multitudine negotiorum impediebat) quò non pomeridianis horis quasi ex religione Cancellariam (ut hodie appellant) singulari exemplo adiret, scrinia evolveret, quæ in promptu atq; perspecta habere oportet Senatorem pro Repub. vigilantem, perscrutaretur..

Quâ re non modo σύνεσην illam πολιτικὴν, quam Thucydides requirit, mirificè auxit, sed & maximarum ac utilissimarum rerum copiā atq; thesauro sese instruxit, ut quoties usus exigebat, ad ipsum tanquam ad dives aliquod penuarium iretur. Adeò nulla pro Republica cura ipsum defatigavit, nullus labor fregit, quin semper vigilans attenderet, recto ut starent omnia talo: nec quicquam ex eo difficilior redditus, sed

— — — — — *super omnia vultus*

Accessere boni.

Quin etiam in senectute ab ὀξυχολίᾳ seu morositate, quæ istius ætatis vitium esse solet, semper fuit liber.

Talis erat in Senatu & curiâ. Par Virtus ejus in officio suo erga cives & subditos administrando eluxit. In primis autem studuit talis esse ipse, quales vellet esse suos cives, ratus nullâ arte melius suos in officio con-

lib. 5. de Legib. tineri, quām si seipsum contineret. Optima enim, juxta Platonem, ad omnem virtutem assūfactio est, ut que mones in omni vitā, ipse facere videaris, quod praeclarè Claudianus expressit:

*In commune jubes si quid censesq; tenendum,
Primus iussa subi, tunc observantior & qui
Fit populus, nec ferre negat, quum viderit ipsum
Auctorem parere sibi.*

Quare hoc dedit operam diligenter, ut in omni vitā civibus suis tanquam fax quædam honestatis & integritatis præluceret, nec disciplinam publicam violaret ipse, cuius se vindicem esse meminerat, ut fuit certè vigilantissimus, eamq; non postremam muneric sui partem est arbitratus, ad quām ut subindē fese excitaret *Symbolum.* magis, symboli loco usurpavit *Officium regentis non solum in dandâ, sed etiam in conservandâ disciplinâ consistere.* Severus fuit justitiæ custos, tam in Iudiciis, quām extra ea, nec quidquam dans gratiæ, nec odio: quin ad Iudicia tanquam ad Areopagum liber omni affectu accessit, sentiens quod cordatè Cæsar apud Salustium dixit, *ubi affectus officiunt, haud facile animum pervidere verum, & quod Flaccus:*

*— — malè verum examinat omnis
Corruptus iudex.*

Unde nec precibus flectebatur, neq; expugnabatur precio: preces apud eum neq; ad justa impetranda necessariæ erant, neq; ad injusta obtinenda efficaces. Et tamen eam Iustitiæ asperitatem clementiâ & comitate quâdam ita condire solitus est, ut ne ij quidem, quos contra pronunciabat, aut quibus aliquid denegabat, cur illi inimici esse possent, invenirent. Cæterum alloquio comis, affabilis, facilis, humanus, cum gravitate non

non austera aut fronte caperata, sed plena dignitatis & comitatis mixta & temperata. Gratiam addebat corporis dignitas ac decor eximus, qui ipsi magnatum juxta ac plebeiorum animos & studia, primo oris asperitu, miram cum humanitate gravitatem sinceriq; animi candorem referente, conciliavit. Nullo elatus honore, nullius fortunam despiciens, neminem quacunq; fortunae gravioris injuriâ multatum, Titi Vespasiani exemplo, tristem à se dimisit; quâ re id effecit, ut jam non ipsum in Magistratu, sed Magistratum in ipso admirarentur omnes ac venerarentur. A fôrdibus & avaritiâ fuit alienissimus, reputans avaritiam esse radicem ut D. Paulus, ut Chrysostomus esse metropolim omnium malorum. Memini quempiam quum ab eo quidpiam petiisset, & jam propè confectum haberet, oblato munere, petitione suâ esse depulsum, atq; dejectum voto. Nempe non venalem esse suam voluntatem, ac muneribus emi volebat, sed probitate, sed dignitate petentis demerendam, nihilq; magis cavit, quam ne quisquam ejus integritatem ac fidem preciosâ corrupisse aut labefactasse gloriari posset.

Liberalitatem de suo & publico promptissime exercuit, quoties dabatur occasio, quam non modò præsentem non prætermisit, sed etiam quæsivit, & periisse sibi putavit eum diem, quo nemini benefecisset.

Præsertim autem viros Literatos & doctos, & qui ad eruditionem non vulgarem concitatori studio contenderent, amavit ac juvit, ratus nihil esse tam proprium præstantis eximiæq; virtutis, quam aliorum & fovere & honorare virtutem atq; doctrinam. Quid dicam de incredibili ipsius erga hanc nostram Academiam amore, quam ut parens genuit, ut nutrix educavit, ut tutor fidelissimus continuò doctis & in omni facul-

tatum genere præstantibus viris quasi nuptui dedit ac
desponsavit voto ac consilio. Quum Amplissimus or-
do Senatorius hujus scholæ fundationem decrevisset,
& jam operi manus admovenda esset, ipse cum Magno
illo Hieronymo Baumgartnero, virtutum ac laudum
suarum antecessore, cuius memoria est in benedictio-
ne, huc excurrit, inq; primi lapidis collocatione ma-
num ipse quoq; admovit, ipso die 30. Septembris, An-
no supra millesimum quingentesimum septuagesimo
primo. Non minori animi cupiditate ac voluptate
quadriennio pòst, cum fratre Jacobo inaugurationi
adfuicit, quæ facta est die 29 Junii Anno 1575. Ex quo sa-
nè singularem ejus affectionem ac pietatis Zelum er-
ga hanc Academiam perspicere licet, quem continuè
novis indiciis & argumentis, quasi certissimis obsidibus,
ad posteritatem testatum dedit, dum non modò libe-
ralia ingenia multa, & probatæ indolis juvenes huc
promovit, verùm etiam filios suos quatuor mitioribus
studiis hìc erudiri & informari voluit, quorum quar-
tum, non ordine sed numero, Johannem Jacobum
summae spei puerum, & cuius indole plurimum ipse
delectabatur, mors præmatura demessuit; reliquis ad-
huc gaudet Patria, & gaudeat diu. Conjunxit autem
eum caritâ affectione huic scholæ non nudus & sine ra-
tione conceptus amor, sed insignis eruditio atq; excel-
lens doctrina, qua pollebat ipse. Nulla est scientia,
nulla ars, nulla facultas, quâ non dicam leviter tinctus,
sed penè imbutus non fuerit. Cum quocunq; homi-
num genere versabatur, habebat quod interrogaret,
quod responderet: fatigare J C T O s poterat, tentare
Medicos, solicitare Philosophos, explorare Histori-
cos, acuere Poëtas: sciens prætermitto Theologiam,
cujus in primis fuit studiosus; Astrologiæ non ignarus,

Archî-

Architecturæ omnes articulos calluit, quod loquiuntur tam publica quædam in urbe & provinciâ Noricâ ædificia, quæm privata in prædiis propriis, quæ non modò hanc ejus prudentiam, sed in universum, quanto ingenio fuerit, testari possunt, si verum est, ut verissimum est, quod quidam dixit, *Ædificationes quo quisque sit ingenio ostendere*.

Quò plura dico, Auditores, eò plura sese mihi offerunt dicenda: rapior amplitudine & cumulo ipsius virtutum, disertum facit laudum foecunditas. Sed quium minimam partem vix attigi, sentio mihi vela esse contrahenda, & ad portum respiciendum. Quare ad mortem ipsius proprio, nec commemorabo prolixè, qualis in privatâ domesticâq; vitâ, qualis in conversatione communi fuerit: ex dictis id conjectare non est difficile. Studuit in eâ non minus honestati, integritati, candori, quæm in publicâ. Fuit in ipsius verbis Veritas, in factis Constantia, in ore Libertas, in vultu Serenitas, in sermone Urbanitas: non diffamator, non arrosor alienæ famæ, non calumniator, non accensus invidiâ, nullâ suffusus malevolentiâ, neq; fuerunt in eo suspiciorum iniquarum latebræ. Adulatores contemnebat, delatores nisi delationis suæ fidem fecissent, à se abdicabat & reiiciebat, in credendo cautus: facile ignoscet, æquabili in omni fortunâ animo eodemq; vultu, non elatus rebus secundis, neq; seipsum destituens in adversis. Dies me deficeret si cuncta persequi vellem. Vixit in universum ita, ut durum mortalitati onus imposuerit, quam ad tot tantarumq; rerum ornamenta & fastigia pervenire posse docuit.

Quum itaq; Vir perpetuâ luce dignissimus, jam Morbus, sibi suæq; gloriæ satis vixisset, quamquam Patriæ nondum satis, die 21. Novembris, Anni superioris, qui ipsi Anno 1610: fuit ætat. 69.

fuit sexagesimus nonus, ipsa nocte invasit eum febris
cum erysipelate dextri cruris & gravibus symptomatis,
quae viribus repente prostratis lecto ipsum affixerunt:
& quanquam Medicorum prudentiam atque indu-
striam aliquando non nihil allevatus videretur, morbus
tamen subinde ex insidiis lacescens, artem omnem atque
industriam tandem fefellit. Tantò autem gravior is
erat, quanto negligentius jam multò antea valetudinem
suam habuerat, nec, quae in tantâ aetate, in tantis curis
atque laboribus propter Rempub. tam injurioso cœlo,
quale in praediis suis sèpè experiebatur, morborum se-
mina colligi necesse erat, ope Medicinæ exturbaverat.
Et si verum fatendum est, si quā aliā in re peccavit, in
seipsum sanè peccavit maxime, nimium robori suo
confidens: quod utinam tam cavisset, quam sèpè, ut
id faceret, ab amicis admonitus fuit. Porrò quā animi
magnitudine & constantiam per totum vitæ tempus fu-
erat, ea neque in morbo ipso eum deseruit: neque tam ipsi
molestus fuit morbus, quam quod dubiis & formido-
losis istis temporibus, Senatui interesse non potuit, cui
tamen ex lecto de gravissimis rebus respondit. Eo e-
nim in Rempublicam animo semper fuit, ut perpetuò
plus doloris ex malis communibus hauserit, contraque
ex publicis commodis gaudii, quam rebus suis vel se-
cundis lætatus sit, vel adversis doluerit. Mortem verò
adeò non metuit, ut cum Cypriano diceret, *ejus esse timere mortem, qui ad Christum ire nolit*: se verò cum Pau-
lo cupere exsolvi, & esse cum Christo: & quanquam
Reipub. diutius prodesse optaret, Deum tamen huic
fore Patronum optimum confidit, se non ita seculi la-
queis teneri dicens, ut hereditatem cœlestium adire &
cernere nolit, terram nobis non pro domicilio, sed pro
diversorio datam: hanc quae vita dicitur, non tam esse
vitam,

vitam, quām iter ad vitam: in cœlo non in terrâ spem
esse defigendam & collocandam: ea esse tempora, ut
quisq; quasi in atroci tempestate, dum hoc maris æquor
arandum, proximam arborem tenere velit: scire se,
quò vadat, non merito suo, sed misericordiâ Christi,
in quo certam salutis suæ spem atq; fiduciam haberet
positam: utq; magis ostenderet, quām interitus, quām
æquo animo exitum divinæ voluntatis expectaret,
contemptâ tandem Medicinâ corporis, apprehendit
verum istud Φάρμακον τῆς ἀγαπίας αὐλιδοτον οὐ μη ἀπογε-
νεῖν. ἀλλὰ λεῖψεν τῷ θεῷ, ut Ignatii verbis utar: hoc est, sa-
cra oracula, divinasq; voces, quibus fidem pasci, spem
erigi, fiduciam figi cum Tertulliano credebat: his se
continuè consolabatur, de his alaci motu animi læ-
toq; vultu semper loquebatur, & loquentes cupidissi-
mè audiebat; præstabant autem hoc ei officium alter-
natim filii, quos Pietas à lecto ipsius non sivit discede-
re. Hoc instructus viatico, tandem die 29 Novemb. Obitus.
manè illucescente die, postquam filio majori natu, suo
cognomini, Reipub. & familiae curam demandasset,
inter pias preces atq; suorum lachrymas ex hac ærum-
narum valle in portum æternæ securitatis, adspirante
secundâ Christi aurâ, placidissimè proiectus est; reci-
tatis prius illis Apostoli verbis: Bonum certamen certa- 2. Tim. 4.
vi, cursum consummavi, fidem servavi, quod superest, expe-
cto coronam Iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illâ die
justus Iudex: & illis Davidis ex Psalmo: Domine in ma- Psalm. 30.
nus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Jehovâ
Deus fidelis: & cum hac voce, & oratione Dominicâ
animam expiravit. O fallaces spes hominum! ô lubri-
cam fortunam! nempe hoc unum restabat afflictis &
perturbatis Germaniæ rebus, ut in hoc infido mari gu-
bernator navis Reipub. nostræ, in quo omnes suas spes

illa collocaverat, in quem intuens sese recreabat, in cuius prudentiâ & vigilantiâ tuta atq; secura quiescebat, in medio quasi cursu nobis eriperetur? O fatum crudelē! quid non pertimescendum est, postquam interruptus est iste tam felix cursus, relicta navis inter ventorum turbines atq; procellas, flatus ille secundus deseruit? multæ sanè existere possunt tempestates, quæ si non submergere, gravius tamen perturbare res nostras poterunt, quarum metu, illo ad gubernaculum sedente, vacui eramus. Requiescis Tu quidem nunc, ut confidimus, in sinu Abrahæ, Beatissime FÜRERE, nunc spiritalem Chanaan adiisti, nunc verum Sionem concendisti, nunc proprius immortalem illam Hierosolymam pervenisti, cuius terrenam & mortalem umbram tantopere adamasti, ut ejus conspectum vitæ periculo redimeres: ibi nunc Tuam animam, inter Justorum animas in manu Dei custoditam, nulla tempestas angit, nullus fortunæ flatus perturbat, nullius periculi metus percellit. Evasisti ex hoc procelloso pelago, & in æternæ tranquillitatis portum appulisti. At nos in hoc navigationis cursu, Te gubernato: e destituti, trepidamus, ne tam saevi jactati fluctibus in scopolos adversis ventis illidamur. Ac sanè omni prorsus spe dejecti concideremus, nisi erigeret nos, quod tamen tales relicti sint nobis Senatores, successores Tui, (pro quo gratias Deo immortales agimus) qui haud minori contentione animi laudum tuarum vestigia legunt, pari curâ atq; industriâ Rempublicam fovendam paternè suscepereunt, quos non fallacibus conjecturis Tui similes fore & speramus & yovemus. Neq; parva nobis fiducia est in tribus, quibus ornasti Patriam, filiis, quos ut nominis, fortunarum, atq; possessio-
num Tuarum, ita Virtutum quoq; hæredes atq; æmu-
los lau-

Ios laudum futuros auguramur, ac jam prospicimus'.
Vos dico, Viri egregii, quos præsentes intueor, in quibus paterna relucet imago, & jam sese profert æmula virtus, atq; foras emicat : Vos, inquam, ij estis, quibus nostrum etiam solaimur dolorem, & luctum comprehendimus : Vos estis, quos succrescentes veluti surculos & germina tam generosæ stirpis, ex agro Reipub. immaturâ nimis & acerbâ morte, (proh dolor) excisæ, vindictatem nostram levare, damnumq; acceptum restituere posse credunt omnes ac sibi pollicentur. In Vos omnium oculi conversi, & spes translatæ sunt. Omnia Vos ad Majorum imitationem vocant. Intelligitis quid Senatus Noricus Amplissimus à Vobis expectet, quid totus populus sibi promittat. Intelligitis quid hæc Academia, quid ista Professorum lumina, quid hæc nobilissima Juvenum corona à Vobis, tanquam paternæ benevolentiaæ hæredibus, exigat. Ipsi hi parietes, hæc ædificia, quorum fundamentum manus paterna posuit, admonent Vos; admonent autem ? imò horitantur & stimulant ad parem erga se pietatem, curam, benignitatem. Si arma, si libros, si vasæ, si alia quædam ex supellectile Parentis Vestri piæ memoriae, quibus Ille in vitâ usus fuit, cara habetis, multò sanè magis Virtutes ejus colere & imitari debetis : tractavit Ille hæc manibus suis; at major fuit animus, qui movebat istas manus & moderabatur.. Tuq; in primis, C H R I S T O P H O R E, qui præter ea, quæ Tibi cum fratribus communia sunt, cognomen etiam Parentis geris, fac ut nomini omen inesse cognoscamus. Fers scio, in oculis atq; animo Tuo C H R I S T O P H O R U M Patrem, fers C H R I S T O P H O R U M avum, fers C H R I S T O P H O R U M proavum tuum, Virostales, quos ne ipsa Eloquentia satis

Iaudaverit, quorum, dum aliqua virtutis memoria &
æstimatio inter mortales erit,

Semper honos, semper nomen laudesq; manebunt.

Horum ut nomen sustines, ita gloriam sectari, virtutesq; repræsentare Te decet. Meministi quæ spes de Te fuerit Beatissimo Parenti; recordaris verborum, quibus ante extremum spiritum & Tibi Patriam, & Te Patriæ omnosè commendârit, quæ quidem, ut & alia in præsentia me referre, Tua non permittit Modestia. Nec vero minora à Vobis, JOHANNES SIGISMUNDE, & JOHANNES MAURITI, postulant ijdem majores Vestri, & Vobis cognomines SIGISMUNDI, abavi & atavi, inquam, Vestri atq; MAURITI, Viri togatâ pariter & armatâ in primis militiâ clarissimi, quorum memoriam inter bonos nulla unquam delebit oblio-
vio. Agite igitur, Viri Nobiles & egregii, digna tantis majoribus propago; agite Fratres, ut ætate dispare, ita virtutis expectatione pares, spem & vota nostra explete. Est quidem dolor ille & luctus Vobis nobiscum communis, sed tantò Vestrâ conditio melior, quām nostra est, quod nos amissum tantum deflere, Vos in Vobis ipsis restituere, quod nos tantum expectare, id Vos præstare potestis. Efficite igitur, ut non tam mœrendum nobis sit, quod tales amisimus, quām gratiæ a-
genda ei, cui omnia vivunt, quod tales habuimus, ex quo ejusmodi filii prognati sunt, qui genitoris vestigiis insistentes, quæsitam laudem fideliter tueantur, & liberaliter augeant. Sed facitis: & ita quidem facitis, ut magis quod admiremur, quām, quod optemus, habeamus. Quare ad finem instituti mei propero.

Talis itaq;, Auditores, ut dixi, fuit exitus FÜRERI nostri Guanae Jitz, de cuius morte ut primum fama percrebuit, dici non potest quantoperè omnium animos, summo-

summorum pariter ac infimorum perculerit & consternârit: audisset mox totam urbem miseri fletibus, plebs per urbem sparsa tantis gemitibus, tamq; miserabili ejulatu omnia implevit, quasi hoc uno amissio, omnia amissâ testaretur, undiq; querelis & lamentationibus omnia circumsonuerunt, neq; cujusquam fuit ea magnitudo animi, ut in tanto casu dolorem cohibere posset. Ipse ego post medium noctem hinc, piâ filiorum curâ, evocatus, ut si possem, opis aliquid afferrem morienti, manè ingressus urbem, haud aliundè certius ac citius cognovi quod fato defunctus esset, quam ex eo, quod nemo occurrebat, cui non oculi maderent lachrymis, & pectus singultibus quateretur.

Haud levior ad vicinos Principes & socios Reipubl. dolor ex ipsius obitu rediit, atq; in universum graviter omnes perturbavit, quos in vitâ sibi devinxerat. Sed civium nostrorum dolor supra modum, quasi tacto vulnere, recruduit, quum funus ipsius efferretur, quod 2. Decembr. ipsâ Dominicâ Adventus in cæmiterium D. Joannis, ad novum ipsius sepulchrū, quam plurimis inusitato exemplo, h. e. ut à fide dignis observatū fuit, mille plus minus hominibus, certatim illud ornantibus & lachrymis prosequentibus, honorificè deductum atq; ibi humatum fuit, in spem beatæ resurrectionis, in qua exutâ mortalitate & infirmitate, gloriosam illam immortalitatem induat. Hic fuit finis vitæ; hic fuit transitus ad vitam. Vixit autem in hac ærumnosa mundi peregrinatione FÜRERUS noster annos LXIX, minus V. diebus, sibi & gloriæ suæ satis, nondum autem Patriæ. Senatoriam dignitatem annos XL maximâ sui cum laude & Reip. emolumento gessit, Duumviratum annos octo. Uxores habuit duas, omni Uxor. & li-

matronali virtute atq; decore conspicuas : priorem
MARIAM ÖRTELIAM, Nobilis Sigismundi Örteli &
Claræ Tetzeliae filiam, ex quâ unicam suscepit filiam
Mariam, nuptam No'sili viro Iodoco Cressio à Cref-
senstein, hoc tempore monasterii, quod ad Vallem An-
gelicam vernaculâ linguâ dicunt, præfecto. Hâc in
primo puerperio defunctâ, duxit SUSANNA M nobilissi-
mæ gentis Halleriæ, viri Nobilissimi Jacobi Halleri
ab Hallerstein & Ursulae Letscheræ filiam, quam vidu-
am mœstissimam reliquit. Hæc ipsum bis septenæ
prolis parentem fecit, ex quibus superstites filii tres,
quorum duo CHRISTOPHORUS, & JOHANNES SI-
GISMUNDUS jam Senatorum subsellia occupant, ter-
tius JOHANNES MAURITIUS in aliam spem Reipub-
licæ reservatur : filiæ verò sex, ex quibus jam quinq;
conjugio honoratissimis in urbe familiis nomen suum
inseruerunt.


Quando igitur in portum delata est cymba nostra,
Tibi, æterne Jehova, in cujus manu sunt omnia regna
atq; imperia, qui bonos das Magistratus, qui aufers,
Tibi gratias immortales ex intimis pectoris recessibus
persolvimus, quod eum nobis aurigam tam diu cle-
menter concesseris, cuius ductu currus Reipub. nostræ
haec tenus tam feliciter directus est, ut inter tot tanta-
rumq; difficultatum salebras non alliserit, per tot frau-
dum ac machinationum præcipitia non sit lapsus,
quod ex tantis insidiarum flammis salvus evaserit. Et
quando eum concesseras ut reciperes, gratias non mi-
nores Tibi agimus, quod tamen tales ei successores de-
deris, in quorum fide & tutelâ suum Respublica dolo-
rem lenire & luçtum sedare possit. Porrò oramus Te
supplices, & imo cordis sensu veneramur, ut eos lon-
gævos

gævos nobis esse velis, gratiâ ac Spiritu Tuo eorum
mentes collustrare atq; dirigere, ut omnes actiones
atq; consilia sua ad Magni Tui nominis gloriam susci-
piant, & feliciter exequantur, quò sub ipsorum regi-
mine & auspiciis Pietas patriæ cultu sinceriore auge-
scat, floreat pax, felicitas perennet: donec ex hac æ-
rumnarum valle coelestis beatitatis metam cursus au-
rificationis & peregrinationis nostræ attingat. Ita
eveniat, ô D E U S, cui sit laus, honor, &
gloria in omnem seculorum
æternitatem.

D I X I.



CHRI-



CHRISTOPHORI FÜRERI piè defuncti

*Exegesin Genealogicam, quia Oratiuncula
isti plenius inserere non licuit, huc trans-
ferre visum est.*

CUNRADUS FÜRER

1. Tritavi a-
vus.

Cum Rodolpho Comite Habsburgensi I. hujus no-
minis Imperatore, Noribergam venit ad comitia, An-
no 1274, ibiq; uxorem duxit Elisabetham Pomerin/
patriciæ familiæ virginem.

CUNRADUS FÜRER

2. Tritavi pa-
ter.

Cunradi Füreri & Elisabethæ Pomerin filius, uxo-
rem duxit Elisabetham Cunradi à Feucht / alias dicti
Feuchters/Equitis filiam. *Hujus Feuchterorum familia se-
pultura est Noribergæ in templo Prædicatorum.* Obiit An-
no 1333, postquam nepotes ex se natos vidit. Defuncti
vidua nupsit Friderico von Roth Senatori Norico, qui
vulgò Rotter dictus fuit. *Rotter sepultus est Noribergæ in
porticu templi Franciscanorum juxta portam.*

Christianus Fürer Cunradi Füreri & Elisabethæ
Pomerin filius minor, uxorem duxit Agnetam Ebne-
rin patriciam, Sigfridi Ebneri & Elisabethæ Küedörffe-
rin filiam, Anno 1325.

Elisabetha Cunradi Füreri & Elisabethæ Pomerin
filia, nupsit Hermanno Ebnero viduo, Senatori Norico
& Eccle-

& Ecclesiarum ibidem præfecto, Anno 1312, qui in primo matrimonio uxorem habuit è familiâ Langmannorum. *Insignia utriusq. in templo D. Sebaldi supra portam medium, quæ è regione scholæ est, dependent, ubi etiam lapidi incisa visuntur.*

P E T R U S F Ü R E R

Conradi Füreri & Elisabethæ Feuchterin filius, uxo-³. Tritavus. rem duxit Elisabetham Viti Elvvangeri & Zenneriæ filiam, Anno 1352. *Elwangeri in templo novi Xenodochij, quod est ad Spiritum S. Noribergæ, in facello Faltznero- rum sepulti jacent.*

Elisabetha Cunradi Füreri & Elisabethæ Feuchterin filia nupsit Friderico Ebnero Anno 1320. Horum filia Agneta nupsit Hermanno Iohannis Langmanni filio, Anno 1341.

P E T R U S F Ü R E R

Petri Füreri & Elisabethæ Elvvangerin filius, natus ⁴. Atavus. Anno 1358, uxorem duxit Anno 1391 Barbaram à Frickingen, quæ antiqua & nobilis fuit familia Augustæ Vindelicorum, & Noribergæ. Obiit Anno 1412.

Catharina Petri Füreri & Elisabethæ Elvvangerin filia nupsit viro nobili Arnoldo ab Hirschfeld, Anno 1370. post hujus obitum secundas riuptias contraxit cum Sigfrido Wagnero Senatorii ordinis patricio Noribergæ, Anno 1384. *Johannes ab Hirschfeld in sui & fratri Arnoldi, Catharina item Füreriæ, Anna Vesten- bergerin, & Claræ Faltzneriæ memoriam diem annum constituit Noribergæ celebrandum in cœnobio Prædicato- rum, Anno 1385.*

S I G I S M U N D U S F Ü R E R

Petri Füreri & Barbaræ à Frickingen filius, natus ⁵. Abavus.

Y.

Anno

Anno 1400. uxorem duxit Anno 1436, Walpurgim Negelin/ quæ familia ad differentiam aliarum hujus nominis Nobilis cognominata fuit & prædia habuit circa Albipolim, vulgo Weissenburg. Vir fuit fortis & scientiâ militari clarus. In primis in bellis Bohemorum & Moravorum probè exercitatus, circa An: 1421, 1430, & 1431: ex quo factum est, ut postea inclito Senatu Noribergensi consilium Bellicum haud vulgare communicârit. Fuit unus ex illis qui Noribergæ An. 1446 ludum Trojanum equestrem instituerunt. Obiit An. 1450. sepultus jacet in templo D. Sebaldi ante sacra-rium.

SIGISMUNDUS FÜRER

6. Proavus. Sigismundi Füreri & Walpurgis Negeliae filius, natus Anno 1436, uxorem duxit Catharinam Henrici Schlüffelders ex Ebneriâ filiam 9. Novembr. Anno 1467. Secundas nuptias contraxit Anno 1476 cum Annâ Herdegeni Tucher i & Elisabethæ Pfinzingen filiâ. Obiit Senator Calend. Septembr. Anno 1501. Sepulchrum ejus & utriusq; conjugis est in templo Spiritus S. ante altare B. virginis. Vir erat apertus & bona conscientiæ studiosissimus, qui animi sensa libere & intrepidè proferre audebat.

Barbara Fürerin Sigismundi Füreri & Walpurgis Negeliae filia, nata Anno 1439, Eligitur Abbatissa in monasterio Bruschii nasterio Gnadenbergico, Anno 1489. successit mortua Mar- in Cent. i. Margaridi Rindsmeulin, virgini nobili, præfuit prudenter & u- Monasteri- tiliter 20. annis. Hujus Abbatissæ duo ex fratre nepotes Si- erum. gismundus & Christophorus Füreri, insignes hujus monasti- cæ congregationis benefactores, suis sumptibus ac expensis, erogatis videlicet 2500. aureis, egregium ac longè pulcher- rum templum Montis Gratiæ ex imis fundamentis de no-

vo con-

vo construxerunt, ac quindecim arcuum ingeniosa testudine illustrarunt. Obiit domina Abbatissa pridie Bartholomai Apostoli, Anno Dom. 1509, etatis sue Anno 70, cum 49 annis vixisset in hoc cœnobio.

Sigismundus Furer Sigismundi Fureri ex primâ conjuge Catharinâ Schlüsselfelderin filius, natus 21. Mart. Anno 1470, uxorem duxit Barbaram Frideriei Holtzschuers & Barbaræ Kressin filiam, 26. Novembr. Anno 1500, cooptatus in ordinem Senatorum Anno 1501. Fuit supremus inspector, atq; curator ditiorum, ut vocant, Eleemosynarum fidelissimus, & in commune omnium pauperum, unde etiam ad ditiores istas eleemosynas aliquot millia reliquit florenorū, ad sublevandos pauperes. Adjuvit amicos suos, pauperibus juxta atq; divitibus inserviens, composuit multas lites, procuravit transactiones, fuitq; vir Senatui pariter totiq; populo acceptus, nemini nocens, omnibus charus, verus, justus atq; probus, Maximiliano I. Imperatori à consiliis, à quo cum fratre Christophoro multas immunitates impetravit Oeniponti Anno 1506. Obiit 18. Januar. Anno 1547. Hic etiam cum fratre Christophoro sumptus erogavit ædificando templo Montis Gratiae, mœnibus item, quibus totum illud cœnobium propè Altorfium circundatum est, multaq; alia beneficia in dictum monasterium contulit. Meminit hujus Sigismundi Fureri Philippus Melanchton in epist. ad Philip. Joach. Camerarium his verbis: *Magna ei (Bucher) fama ad Ioachimiaritas & ut audio etiam amicitia est cum viro optimo Camer.* in epist. fol. 354. *Tuo affine Sigemundo Furerero, civi Norico, qui nos quoq; admodum amanter complectebatur, Anno 1536.*

CHRISTOPHORUS FÜRER
Sigismundi Fureri & Annæ Tucherin filius, natus 7. Avijs
X 2 9. Maij

9. Maij Anno 1479, uxorem duxit Catharinam Johannis im Hof / & Catharinæ Müfflin filiam, 28. Ianuar. Anno 1512. sub Maximil. Imper. in Bello Bavarico Anno 1504, deinde in Galliâ & Belgio Anno 1505, tandemq; in Italiâ in obsidione Patavii, Vicentiae & Verona Anno 1509, eques cataphractus cum quatuor equis proprio stipendio militavit. Eodem anno Norbergæ lusum Troiæ serium, qui cum vitæ periculo conjunctus est, ter, cum Johanne nimirum Ebnero, Sigismundo Pfinzing / & Christophoro Kressen lusit. Anno 1510 lusu Trojano ludicro cum octo aliis concertavit, & Anno seq. 1511 secundâ vice cum XIV. Lectus fuit in Senatum Reipub. Nor. Anno 1513, & ab eadem RepUBL. ad Maximil. Imper. legatus missus Anno 1515. Tempore fœderis Suevici cum pedestri atq; equestri exercitu Norico, cuius dux erat, missus fuit in duatum Wirtebergensem, Anno 1519. A Carolo V. Imperatore, Ferdinando Rege, & Electoribus Imperii evocatus fuit ad Comitia Augustana, ubi de salute Imperii tractabatur, à quibus etiam ob singularem fidem atq; prudentiam muneribus honorificentissimis donatus fuit, Anno 1530. Arcem Haimendorf, familiæ hereditariam, quam à majoribus acceperat, ipse restauravit atq; munivit. Liberos procreavit XVI. Vir erat prudens, apertus & probus, in cuius verba, juxta proverbium, turris ædificai potuisset. Non suum, sed alienum curabat commodum, amicis suis ope & consilio succurrens. Imperatoris, Regis, Austriae q; Archiducum consiliarius fuit fidelissimus. Obiit Haimendorfi Anno 1537, ætatis sue 58, unde Magnatum plurimum, aliorumq; honestissimorum virorum comitatu splendido admodum atq; numero ad cœnobium Montis

Montis Gratiæ transportatus fuit, ubi in templo sepulchrum ejus & insignia visuntur.

Sigismundus Fürer Christophori Füreri & Catharinae im Hof filius, natus 20. Novembr. An. 1513, uxorem duxit Felicitatem Hübnerin Anno 1547, cum d. 3. Maij Anno 1546 unà cum novem aliis Noribergæ lusum Troiæ ludicum instituisset. Obiit 8. Novembr. Anno 1579.

CHRISTOPHORUS FÜRER


Christophori Füreri & Catharinæ im Hof filius se- 8. Pater. cundus, natus 30. Januar. Anno 1517, uxorem duxit Magdalenam Christophori TETZELII Duumviri Reipub. Noriberg. filiam, 1. Januar. Anno 1540. Electus fuit in senatorem Anno 1553. In nuptiis Barnabæ Pömeri, quæ celebabantur Noribergæ 6. Febr. Anno 1538, unus ex octo illis fuit, qui lusum Troiæ equestrem instituerunt. Obiit 6. Febr. Anno 1561.

Carolus Fürer Christophori Füreri & Catharinæ im Hof tertius filius, natus 12. Novembr. Anno 1530, uxorem duxit Claram Leonharti Tucheris & Nützeliae filiam 25. Novembr. Anno 1556, cum prius Anno 1547 Galliam, & Anno 1549 Belgium peragrasset, ubi etiam Anno 1553 militiæ nomen dederat. Vir erat in omnibus generis equestribus certaminibus probè exercitatus. Receptus fuit in senatorium ordinem Anno 1557, tandemq; cum 6. Maij Anno 1567, animo expatiandi ad arcem hereditariam Haimendorf eques ex urbe discessisset, in hodiernum usq; diem certi nihil compertum fuit, quonam fato sit absorptus. Cætera nemini non charus, & ob virtutem singularem aestimabatur..

Mauricius Fürer Christophori Fürieri & Catharinæ
im Hof filius quartus, natus 31. Maij Anno 1534, uxo-
rem duxit Mariam Sebastiani Welseri & Barbaræ Nüt-
zeliæ filiam, 26. Januar. Anno 1562, cùm prius ab An.
1548 usq; ad An: 1552 Galliam, & deinde Anno 1553
& seqq. Italiam peragrasset, ubi Romæ in primis &
Neapoli constituit. Perlustravit quoq; Belgium, ibiq;
Anno 1557 sub Philippo Hispano contra Henricum
Galliarum Regem in obsidione S. Quintini eques sti-
pendia meruit, ubi diversis præliis virum fortem atq;
bellicosum se declaravit: eumq; 3. Mart. Anno 1561
Iulus Troianus haberetur, ipse inter octo commilito-
nes palmam obtinuit. Electus fuit in Senatorem An.
1577. Obiit 24 Maij Anno 1605, cùm magnis accessi-
onibus atq; ornamenti arcem Haimendorf familiae
decus extulisset.

CHRISTOPHORUS FÜRER

Christophori Fürieri & Magdalenaæ Tetzeliae filius,
ille est, cuius vitam, obitum, prolem, &c. Oratio narra-
vit.



In obi-



In obitum
AMPL. NOBILISS. PRU-
DENTISSIMI DN. CHRISTOPH.
FÜRERI, Duumvir. Reip.
Norimb. &c,

I.



*Vi tria fulcra modo Germanæ visarū-
Libertatis erant, militiaq; pia, (entis
Rex summus, a) summusq; uno propè
tempore Princeps, b)*

*Et summus consul, c) summum obière diem.
At vivit Deus. Hic causam defendet amicam,*

Hic nostros hostes opprimet, atq; suos.

a) Henric. IV. Rex Gall. b) Frideric. IV. Elector Palat.

c) Christoph. Führer IIvir Reip. Norib.

II.

*FÜRERI si quis laudes sermone soluto
Se putat, aut vincere dicere posse satis,*

Ille

*Fille etiam dicat, Libyco quot in aequore fluctus
Voluantur, rabidis cum furit Auster aquis.*

III.

*Patronum Pietas, tutorem Academia luget
Extinctum, patrem plebs, populusq; Duce m.
Germani at proceres Tecum, FÜRERE, perisse
Deliciasq; suas, consiliumq; gemunt.*

Scipio Gentilis JC.

CHRISTOPHORO GIRSNERO
Reip. Norib. à libell. secret.

CVNRADVS RITTERSHUSIVS JC.

S. D.

Füreri excessu quantam Respublica cladem
Acceperit, Girsner, nimis verè Tua
Laudibus illum ornans deplorat Epistola dignis:
Dignis licet vix ulla laudibus virum
Lingua, Pericleo quantumvis fulmine pollens,
Celebret unquam, copiam omnem exauriens.
Accipe nos socios justi, Girsner, doloris.
Nam luget ipsum quisquis hic vivit bonus.

Pupillos

Pupillos videoas tutorum ita funera flere :
Et ipse tutor hujus extitit Schola.
Vnus ego è numero hoc male iunxi harentia metra :
Nam cultiora non sinit turbata mens.
Hæc Tibi mitto, meum contestatura dolorem,
Et Manibus supremum honorem habentia. (tur:
Non posco ut numeri innumeri Tibi, Amice, proben-
Sat est mihi, mentem bonam modò approbem.

MEMORIAE DN. CHRISTOPHORI
FÜRERI Duumviri R P. Norimber-
gens. &c. Sacrum.

B Eatus ille, qui procul tumultibus
Subductus à terrestribus,
Cœlestis aulae particeps & incola,
Deum propè audit ac videt.
Non ille terretur minis mortalium;
Non ille vi, non fraudibus
Est amplius subjectus aut obnoxius:
Non classico excitus truci
Horret necem, direptionem, incendia,
Blasphemiasq; stupraq;

Z Et quic-

*Et quicquid istius farina & bellicus
Secum furor trahere assolet:
Sed pace dulci, pace verâ perfruens
(Quam visio præstat D E I,
Quam tot beatorum Angelorum exercitus,
Mille & phalanges Martyrum,
Et quicquid est hominum beatorum, suas
Stolas in Agni sanguine
Qui unquam abluerunt, & suo usq; harent duci)
In sanientis æquoris
Spectat procellosas minas ex litore,
Periculi haut timens sui.
Hæc & Tibi, Fü R E R E Magne, contigit
Iam sors Dei dono inclyto,
Vita istius dum ereptus ex molestijs
Quasi evolasti è carcere
Ad cœlum sedes beatas: unde nunc
Orbis tumultus despicias:
Et pace cœlesti fruens solo in D E O,
Laudes ei æternas canis.
Erat quidem hoc optandum, aliorum nomine,
Te vivere in terris diu,
(Si quid diu in terris tamen dici potest,)
Trisecli senisq; Nestoris*

Viva-

Vivacitatem aquare. Nam Te Nestorem
Florens ocellus urbium,
Germanicarum NORIBERGA diutius
Egeret, ullo tempore
Si Te requisivit sibi optimum Ducem,
His turbulentis motibus,
Quos unde quaq; concitatos cernimus.
Occurrere his Prudentia
(Humana si quicquam valet Prudentia,
Cum fata resurgent sua)
Senilis illa posset amplius Tua,
Spectata sapè in arduis
Negotijs, probataq; longè plurimis,
Et grata principibus viris.
Nam dignitas oris Tibi, & facundia,
Et alta mens, vel Principem,
Ornare quemvis sufficiens, divinitus
Erat data. Expertus loquor:
Nec Francicus me vanitatis arguat,
Magni aestimans Te, Circulus.
Quàm sapè posthac ille & ille dicet: Heu,
FÜRERUS est ubi meus!
Sanioptimus Dux quondam & auctor consilij,
Quo nunc eget Respublica, Z 2 Eget

Eget clientum turba, magno incommodo.
Sed præmij Virtus Tua
Fraudanda justis non erat nimis diu,
Quæ condita in cœlis manent.
Nam quamlibet Te honoribus Respublica
Ornârit excellentibus
Pridem: tamen millesimam partem hi Tua
Virtutis haut aquaverint.
Mundana nam res nulla præmij est satis.
Ut ergo dignis Te modis,
FÜRERE, munerare posset, transfluit
Ad cœlites rerum arbiter.
Amor dolorq; noster, ah! salve & vale,
Patrone, Princeps ordinis
Amplissimi, quo Noriberga floruit
Diu, Deoq; floreat
Favente porrò, donec undis Pegnesus
Secabit urbem perfluens.

Cunradus Rittershusius D.

A L I U D.

E Heu! fugaces ocyùs alite,
Labuntur anni: canaq; iugiter Obre-

Obrepit etas: dormiantne,
Num vigilant homines, perinde est.
Lapsos at annos Morta truci pede
Arcuq; tenso subsequitur: ferit,
Nec errat, incautos sagittâ,
Mox lacrumas ciet: abripitq;
Reges, Dynastas, Ruricolas, sed &
Cives: Quid? ulli parcere nescia,
De ponte turbando, & annis
Interimit vegetos: puellas,
Anusq;: Crasos, insimul Ibicos:
Blennos, potentes consilijs catis,
Astug; pollentes polito
Demetit hem! sicelice Parca.
Ergò & FÜRERUS præsidium Vrbicum,
Nostriq; splendens fax Capitolij,
Fatis, inexorabiliq;
Succubit Libitina amara
Legi. Hinc Penates protinus ejulant:
Et cara Coniux, & subolis cohors,
Carinepotes atq; neptes,
Ora madent queruli genasq;

Planctu plateæ, Curia fletibus
Repleta, lessumænia: dum SUPER-
Bonî Esse, quotquot sunt, voverent,
DE PATRIA BENE PROMERENTEM.

Georgius Remus. JC.

A L I U D.

Q Vis lachrymis, FÜRERE, aequet Tuafunera di-
Atra cui rapuit munera cuncta dies? (gnis,
Quem luget Virtus, deflet Sapientia, plangunt
Relligione Fides, & probitate THEMIS.
Arte armatus eras, ARMORUM ornatus & usu,
Bellica cum peterent signa solo atq; salo.
Lustrasti multas partes habitabilis orbis,
Quà Sole xoritur, quà quoq; commoritur.
Hinc meritò ad clavum insigni virtute sedere
Summâ olim TIBI RESPUBLICA mente dedit.
Consilij causas, clavémq; aperire potentem,,
Et clavam pœna, jure nocerereis.
Cui clavus, clavis, clava & quâ lance feruntur,
Hunc meritò prohibet carmine Mus Amori.
Hinc immortalis niveis Bona Gloria pennis
Te, FÜRERE, super sidera celsa vehit,

Et cæ-

*Et cælum lacrymis aquat Tua funera dignis,
Reddit & ALBA TIBI funera cuncta DIES.*

Joann. Cunradus Rhumelius
Ph. & Med. D. PHYSICUS Novi-
fori Archipalatinorum
Ordinarius.

LESSUS
CASP. HOFMANNI, MED. D. ET
Professoris Altorfini.

*P*rodere si potis est quisquam argumenta doloris,
Qui dolor in totas penetrat sese usq; medullas,
Et benè vivaci sensim & sensim ustulat igne:
Prodere fortè mei possum argumenta doloris,
Quo me FÜRERIM mors valde inopina fatigat.

*Heu mihi, quod dolor hic nullâ est medicabilis ar-
Scilicet alma dies alios quo scunq; dolores (te?
Edomat, & longo imperio sine fine coërcet,
Mandatisq; premens & summis viribus instans,
Donec edax focus hictacitas exspiret in auras.*

*Sed dolor hic, dolor hic, quām longè nititur usu
Ingeniōq; alio! Nam quò se latius effert
Perg domos, urbēsq; & agros Germanidos oræ,*

Non

*Non minor esse cupit: quin, nullo limite clausus,
Temporis auxilio vires adquirit eundo:*

*Dic mihi, ö infelix Plebes, rerum omnium egena,
Cujus ego lacrymas inspexi, atq; auribus hausi,
(um funus sequerer FÜRERI nobile, quid jam
Est animo tibi? Iamné hic fôrs deferbuit ardor?
Si male ad immemores veterum ivit gratia factum.*

*Dicite mi, Cives, quo cung; sit ordine quivis,
Quos multo effusos studio, pullâq; catervâ
Spectavi mestos, quæ nunc sententia menti est?
Mestitia né abijt sola hac atq; unica causa?
Quàm vereor, si abijt, ne mox truculentior adsit!*

*Dic Academia, dic mihi Pappenhemius heros,
Qui modò sceptrum eius, Gentili ast astite, gestas,
Tu quoq; Gentilis, quem mecum Academia testem
Miseraf affectusq; sui, iustiq; doloris.
Quid nunc? Heu! venis tacitum latet ulcus in imis.*

*Dic mihi Relligio, dic Religionis amator
Sincera, cuius manifesta in luce videnda
Dux fuit atq; aut omni multo discrimine notus
Helias invictus Germano sanguine cretus,
Annon morte huius metuis tibi deniq; noctem?*

Dicite mi, Proceres Romani cung; Senatus,

Tug;

Tuq; adeò augusto in solio Rudolphe secunde,
Ecquid consilij fuit hoc in pectore? in armis
Ecqua dexteritas, tanto turbante tumultu
Vtilis? Haud ausim, quod res est, dicere multis.

Sed quid opus dictu est? Non fallor, sed scio certè:
Tam latè serpit contagio funeris huius,
Quàm latè sese fraudes, immaniaq; ausa (ge,
Hispanum extendunt. Hos Tu, Deus Optime, fran-
Ut constent nobis solatia vera doloris.

PIIS MANIBUS
Dn. CHRISTOPHORI FÜRERI
ab Haimendorf &c.

Cum vitam pro vitâ dare non licuerit ex voto, contra
votum consecrat monimentum doloris
exiguum ingentis

MICHAEL PICCARTUS Fr.

MEmiserum: ergo iterū pectus lugubria pulsant?
Et vocat ad tristes rursum Elegia modos?
Ergo iterum lacer& assistunt flentesq; Camæna?
Aptaq; depositunt carmina temporibus?
stant circum lacrymis uða, crinémq; soluta
Tundentes nimio pectora cordolio

Aa

Relli-

Relligio, Virtus, Themis & Respublica, nostramq;
Exposcunt vocem, suplice voce, D E A.
Quid? loquar, aut sileam? fibras dolor excoquit in-
Nec sinit in lacrymas ire pias oculos. (tus,
Cor instar cera liquefit: non Aetna caminis
Sic furit, ut subitus nunc dolor intus agit.
Lingua stupet motuq; carens in faucibus haret,
Mens hebet, & vita signa notaq; iacent.
Vocalem tamen esse volunt tot numina, pumex
Si dabit humorem, verba etiam ipse dabo.
Non hoc non tantum vulnus, mihi credite, Divae,
Admittit vocem, non etiam lacrymas.
Altius impressum est animo, vitalia carpit,
Unius & funus funera mille trahit.
Et quid mille loquor? Germania funere tota
Tabuit unius semisepulta simul.
Consilium dormit, dormit Prudentia, Virtus,
Verum & Relligio hoc funere mersa jacet.
Hanc ego jacturam nunc defleam? & ille disertus
Totius Europa proliciam lacrymas?
Hoc alius faciat, mihi singultire relictum est,
Dum trahit ingratas vita odiosa moras,

Aq;

Atq; optare mori tenebras lucemq; peroſo,
Postquam abiit noster Phæbus & orbis Amor.
Non si Tyndaridi quondam Polydamna Lacæna,
Quia dederat blandâ Pharmaca certa manu,
Et qua Telemacho luctum abstersere doloremq;
Hausta, mihi quoq; nunc ferret amica manus:
Impetrare modum nostro possem ipse dolori,
Nec Deus in totum ponere posse dabit.
Ergo agite & mœsta à mœsto secedite Divæ,
Nil à me vobis consiliū aut opis est.
Te precor, proferte pedes, proferte querellas,
Me mea consumet cura dolorg; brevi.
Quarite, cui pectus ferro septemplice munit
Robur, & invicto cor adamante riget.
Qui ad tantos casus invicto robore firmus
Persistit, siccis esse potestq; oculis,
Ips plenis velis, plenis Zephyrisq; feratur
In nostri Herois facta, favente D e O
Quas juvenis terras alio sub sole jacentes
Viderit, ut Siculi pervada parva freti
Appulerit Meliten, quod ibidem, insignis in armis,
Quasierit dextrâ, Marte favente, decus.

Aa 2 Inde

Inde etiam Pharij ut penetrarit ad ostia Nili,
Perq; Arabum petras i verit in columnis,
Quomodo ad excelsi veneranda cacumina Sina,
(Nempe diu Pietas suaserat istud iter)
Inq; Palæstinam sanctam devenerit hospes,
Atq; ausis tulerit præmia digna suis.
Hæc ille extollat verbis & voce coronet,
Et faciat cultu splendidiora novo,
Si pote: post addat quantâ cum laude reversus
Carpathijs miles federit ille jugis,
Quas itumq; manu decus haut virtutet enere
Contentus, miris auxerit usq; modis,
Invictumq; animi robur dextramq; potentem
Circumfraternis intulerit populis,
Vistula Sarmaticis qua stringit littora campis,
Moldaq; Zechorum Regna superba secat.
Talia narrantem, si firmo pectore lumbi,
Si vocis nondumq; organa deficiunt,
Subijciat quibus ille domum virtutibus auctus,
Queisq; Ducum ac Regum floridus e logijs,
Deniq; quo Patrum plausu populiq; reversus,
Oblatum Patriæ acceperit imperium,

Quoq;

Quoq; animo tantas rerum tractaverit undas,
Quo studio, ingenio, dexteritate, fide.
Quosq; illi ex meritis decrērit Patria honores;
Patria in hunc civem non malè grata suum.
Patria nec solum, verūm & quacunq; merenti
Præmia virtutum constituere viro
Augustus Cæsar, nostri Imperijq; columnæ,
Garmaniq; soli Principum honor a manus,
Et quæ Franconia Proceres, Gens edita cœlo,
Omne suâferiens nobilitate solum:
Quos omnes rerum ancipitesq; dubiosq; salutis
Consilij juvit dexteritate sui,
Divisosq; animis, causâ aut virtute, potenter
Eloquio flexit, publica damnna docens
Et tristem augustæ patriæ instantemq; ruinam,
Et nostri casum atq; exitium Imperij,
Ni positis odijs, positor rancore Potentum,
Fædere conspirent dextra animiq; novo.
Tandem quæ lacrymae, quæ luctus signa cadentem
Sint comitata, suis explicet articulis.
Qualiter externata inopino Curia luctu
Principe squalluerit sic viduata suo.

Qualiter effusig_s senes & vulgus inundans,
Illa Patris patriæ funera pulla cohors
Cum planctu & lacrymis sit cordoliog_s secuta,
Æthera ut implerit fæmineusq_s dolor.
Ut pueri & rerum ignarae sortisq_s puellæ
Prodiderint gemitu publica damna suo.
Ut miseri, quos dira famæ, quos pressit egestas,
Annona & pretijs carior usq_s suis,
Hunc benefactorem, Patrem flerintq_s benignum,
Quo salvo salvus esse licebat eis.
Hac atq_s his cognata canat mihi ferreus ille,
Et moveat metris saxa ferásq_s suis.
Non eam i virtus, quem mollem Dadala finxit
Natura, & docticura Magisterij.
Ipse meum intra me vix tantum musso dolorem,
Dum dolor uranîmis ambedit igniculis.
Absq_s illoforet, excirem in præcordia vires,
Deforet & tanto non amor officio.
Quanquam, quantum omnes anima linguaq_s vale-
Si huc conferre velint omnia dona sua, (rent,
Inferiora tamen FÜRERICuncta putarim,
dibus & meritis inferiora mei.

Cuius

*Cuius ego augustos vultus, oſq; illud honestum
Dum mente intueor, mens stupet, ora silent.*

D. CHRISTOPHORUS FÜRERUS
moritur Anno Christi c̄lo Iō cx.

senserat InVICtā noster VIrtVte f ÜRERVs
fata rVINosæ patrIæ VICIna, ſVIſq Ve
CorrVre Vſq Ve opIbVs, neC ConsILia VLLA VaLere,
aVt VeterI noſtrIs ſCrIbta VſIbVs aVrea ſeCLO.
ergò optat fIerI fVnVs ne fVnera Cernat,
ægrIVs VLLaſ Vo. SVperIaſſensere preCantI,
tantIſq Ve erIpIVnt properè fVrlaLlbVs aVſIs,
InſInVantq Ve poLo ſVprà & fVLgentlbVs aſtrIs.

Aliud.

ergo IaCes? (patrIæ ſpes & tVteLa rVentIs,
Cor VrbIs, IVſtIq Ve DeCVs præLVſtre ſenatVs,
qVI terror reprobIs fVerasq Ve patrionVs egenIs,
præſes apoLLineoq Ve gregI noſtroq Ve LyCæo)
frVſtrarIsq Ve tVI popVLI ſVſpIrIa feLIX.
heV heV trIſte bonIs atq Ve haVt CVrabILe VVLnVs!

Michael Piccartus F.

E I U S D E M

Memoriae, quæ in benedictione, SACRUM.

DUX Urbis, FÜRERE, Tuæ, lux publica Civi,
Raptéq; cordolio Civis & Imperii,

Nube

Nube ex tempestâ traducte in Tempe JEHOVÆ,
Torris ut erreptus Tu crepitante rogo es!
Mille solo clades Nos & tormenta pavemus,
Navigat in portu cymba Tibi, ing̃ vado es.
Exantlata quibus sentina hac improba Mundi
Immundi, Benè nos, dicite io! Benè nos!
(Va! quibus exorbenda & acerba & pessima fundo!)
Carpe quietem, & ovet Spiritus axe D E O.
Dux Urbis, F Ü R E R E, Tuæ, Lux publica Civi,
Raptéq; Cordolio Civis & Imperii.

Ratisbonæ Lessu prosequabar L M.

C H R. Donaverus Ecclesiastes
in Patriâ P. L. C.

A L I U D.

Q Vem quondam prædator Arabs captavit inani
Spe præda, quem Turca ferox & Thracius ho-
Sedibus è patrijs ad patria tecta remisit (stis
In columem Iuvenem F Ü R E R U M, pectore firmo
Ac fortirumpentem animo per retia mortis,
Mortis pro fato, tandem fit corpore præda.
Ille Pater Patriæ nostra, Procerumq; Choragus
Tantorum tantus: Quid non metuamus ab una
Morte

Morte omnes reliqui, natali jure minores,
Et gravitate piâ? Quæ si quis pensaret æquâ
Lance, Virum faciunt ex omni parte beatum.
Excipio Mortem, qua legem servat in omnes,
Mortalesq; viros produxit crimine ab uno.
Ergò nec hic noster (lacrymae concedite verbum)
Mortis ab insidijs securus vixit, Avorum
Magnorum non indignus de gente vetustâ,
Nobilitate suâ Clarus, sic natus, ut esse
Unus amor populi posset, turbæq; miselle
Subsidium firmum: sed qui molima mortis
Horruit haud quaquam unquam, ceu pugnator in ho-
Pugnacem & fortem fortis, dum crine resistit (stem
Capto, atq; auspicio meliori prælia miscet,
Obuius it primus venientibus hostibus ultrò,
Atq; suos socios in pugnam invitat ubiq;
Exemplo memori, constans Virtutis alumnus,
Telaq; comminuit contrâ volitantia cuncta,
Hanc artem doctus quondam sub Marte Magistro.
Talis erat iuvenis noster Fü R E R U S in ipso
Agmine. At interea quoq; Pacem armatus amavit.
Ergo togâ sumptâ diu poscente Senatu,
Et postquam tandem tanto fit in ordine primus,

Bb

Consi-

*Consilijs, studio Pacis moderatur habenas
Indomiti Martis, vires & robora frangit,
Repentiq; malo nervos succidit, & omne
Auxilium afflictis rebus promittit, & adfert
Optatam requiem civi rurisq; colono.
Sic Patriam rexit felici siderenatus,
Quadragesima annos divinâ mente Senator,
Atq; annos octo magno splendore Duumvir.
Accinctus lumbos Vero & Candore, trilicem
Justitiae indutus thoracem, poplite utroq;
Sutilibus fibris firmato, scutâq; sumens
Sincera fidei, cui cedunt ignea tela
Ditis & inferni: galeamq; ubi & ipse salutis
Applicuit capiti: Verbiq; sonantis Olympo
Accinxit lateri gladium, Cœleste vocando
Numen in auxilium (sine quo vita optima mors est)
Ultima præsentis vita non optat: at atram
Excipit intrepidus mortem post fercula vita
Æternæ, Cœnamq; sacram cum mente peractam
Gratâ, nunc moriar latus, lethoq; ministro
Hospes ero Cœli, fidei per Symbola nostræ,
Dixit, & in medijs verbis suspiria finit
Leniter. Ut longo languentia membra labore*

Accipi-

*Accipiunt gratum somnum dulcēmque quietem:
Sic hic obdormit post tot discrimina vita,
Inter latrones Arabes & Turcica fraudum
Mænia, post tritis salebras in monte Sinai,
In quo cum paucis potuit cantabile carmen
Decantare viris, Divina legis in illo
Monte olim latæ supremo à Rege Regentum.
O Pietatis opus magnum atq[ue] hoc milite Christi,
Monte, loco, dignum, quo convenientius ullum
Haud facile esse aliquid possit. Proculite prophanum
Vulgus, & extremos cursum convertite ad Indos,
Pro Domini verbo rutilum qui queritis aurum:
Interea nos cum nostro Duce & auspice Christo
Divinas leges meditemur, & ardua Cæli
Culmina per Christum cunctis scandenda beatis.
Alto quis credat somno pastore sepulto
Damna lupum caula solito dare velle minora?
Hostis convulsâ speculâ dum mænibus instat,
Quis se securum subter sua tecta latere
Posse putet? stultus sibi qui persuaserit istud.
O miseram caulam tanto Pastore subacto
Tam longo somno, dum tam furit omnis Avernus.
Taliani nobis superessent sidera plura,*

Pastoresq; boni vigilésq; in mænibus altis
Noridos, ignotæ nulli Urbis mercibus atq;
Arte novâ artificis solertis, & arte Minervæ.
Ah! quanta tenebra subducto hoc Sole futura
Essent, quâm nocua nisi tot stellantia Patrum
Sidera dislicerent surgentes æthere fumos
Fortuna, & misera clavis Martisq; cruenti?
Non fallet spes ille bonas, qui lumine mentis
Tam videt: est longè quo vis oculatior Argo.
Auditis, Patres, Oculus Germaniaæ in oris
Passim: ne desint Patriæ, videamus, ocelli,
Pro toto populo, quo stangit cura precandi.
Sic populum multo sine cæde & sanguine fuso,
Debito in obsequio, Patres, retinebitis omnem,,
Sic Pax alma lares nostros & lecta beabit,
Sic nomen vestrum longum durabit in ævum,
Sicerimus salvi, cœloq; locabimur alto.
Omnia, qui rutilos Cœlos lucratur, habebit.

M. Christoph. Reich
Eccles. Sebald. Diacon.

UXOR

UXOR ALLOQUITUR CUM FILIORUM, FILIA-
RUM, nepotum & neptium cætu defunctum.

Sic cinéchare Pater tristis nos orbe relinquis?
Tempore tam tristi deseris anné Tuos?
Consilioq, Tuos misérè auxilióq, carentes
Destituis? durus tam potes esse pater?
Nonné vides quod bella crepent jam penè per Or-
Omnia sint misero cunctág plena metu? (bem,
Hanc igitur tutare domum, aut nos eripe Tecum,
Aut fac ut timeant nulla pericla Tui.

RESPONSI O.

Sistite jam lacrymas: nec enim sors ista timenda est,
Iam tandem est cælum Patria certa pijs.
Auocor à Christo, cuius bonitate receptus
Vivo, nec mutem totius orbis opes.
Vivebam terris siquidem antè, nec ulla laborum,
Finis erat, nunc me clarus olympus habet. (mundi
Nunc domitus Sathanas, mors, mundus, & omnia
Sunt mihi sub pedibus, sanguine, Christe, Tu.
Sed levo spē luctum, latum mox affore tempus,
Gratior intuitus cum mihi vester erit.

M. Georgius Mauricius Senior.

A L I U D . IN O B I T U M

Affinis sui desideratissimi &c.

Dignum laude virū FÜRERUM, plaustra laborum
Non potuere equidem frangere, plaustra ma-
At, Saturne, tuus sternit Mauortius ausus, (līm.
Infelix sidus, Noriacberga, Tibi.
Heu! cecidit capitis nostri diadema refulgens:
Occidit, heu! Patrij gemma cornuſca Soli!
Dux noster fidus, cautā qui mente saluti
Noſtræ proſpexit: Quid? Pater, oh! Patriæ.
Solamen misericordia lumen lumine caſſis
Qui fuerat Virtute, exulibusq; quies.
Urbis præſidium, ô ſirma columna Senatus,
Et columnen Muſæ, Nobilitatis honos.
Hoc Duce vix habuit majorem, fallor an? atas:
Et dubitem, ſit pōſt fōrs habitura parem.

Summe obſervantiae atq; grati animi
ergo lugens fecit

Hieronymus Geuder ab Herolsbergā.

A L I U D .

Sicciné Mors, ô Mors, ô implacabile numen,
Horrendum cunctis monſtrum mortalibus, audes
(Aſpera

(Aspera cum creperis fervescant tempora bellis,
Cumq; p;ij innumeris iacentur in orbe procellis,
Omnia & in peiora ruant, fraus vendicet orbem)
Nostro FÜRERO, quo nunquam justior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis,
Falce caput secuisse tuâ? crudelia fata!
Ah quantas lethum clades immane dedisti!
Amissum luge Tu, Noricaberga, parentem.
Quisnam adeò rigidus, quis ferreus esset, iniqua
Quem non perculerint FÜRERI & tristia fata?
Causa doloris adest; meritò deflemus ademptum
Huncce virum nobis. O Norice civis acerbum
Inspicias casum. FÜRERUS mortuus. Eheu!
Si quis dignus erat Tithonia vivere secla
Post habitis cunctis, solus certò ille fuisset.
Namq; pater vidua, tutor fuit ille pupillis,
Pauperis ille Parens, & profuit omnibus aequè.
Ille fuit studijs fautor, summusq; patronus:
Ille per ignotum felix penetraverat orbem,
Et mores didicit varios, & plurima lingua
Calluit atq; eadem discrimina reddere voce.

At non perpetuò gentili more dolendum:
Mors sua quemq; manet, magnorum tecta subire
Non

Non metuit Regum, lex hac mortalibus una est.

*Mors vocat atra omnes ad se, mors omnia perdit,
Parcere Cæsaribus nescit : simul illa juventam
Cum senio, illa inopem cum divite demetit unā.*

*Ergo absint luctus, mœror, lacrumæq; dolorq;
Non revocare licet quos ad se Iova vocavit.
Et non interiit Magnus FÜRERUS, Olympi
Sed natus sedem, felix requiescit in illa.*

*Filius interea (Vatum præfagia veri
Si quid habent) laudes per secula cuncta manebunt :
Excelsa cathedra quas nuper ritè Sonerus
(Alter Aristoteles, Medicæq; peritia Laurum,*

*(ui meruit) nobis dixit sermone polito,
Quem virum servent per longos Nestoris annos
Dì superi, in nostri laudem & decus, opto, Lycei.*

*Ad Te me verto, Magne & memoræde Duumvir,
Tu, FÜRERE, decus nostrum, qui maximus inter
Noriacos proceres, patriæ pater optimus, inquam,
Qui nosti populis (vates ut dixerit olim)
Parcere subjectis, & debellare superbos :
Immortalis Honor (qui fulges sideris instar
Electos inter, cœli in regione serenâ)
Salve, supremumq; Vale, dignissime cælo.*

At Tu,

At Tu, Summe Deus, cælum qui Numine torques
Et terram, ô hominum divumq; aeterna potestas,
Cùm Tibi sic visum nobis auferre beatum,
Illum FÜRERUM: GNAKI, quos ille reliquit,
Insistat Magni, facias, vestigia Patris:
Hi nostras dement lacrumas, luctumq; levabunt.

Stirpem FÜRERUM illustrem tueare, domumq;
Huic adsis dexter, salvam per secla Periclis (to
Hanc serva, hæc vigeat petimus, Pater Optume:gra-
Tunc Tibi perpetuas solvemus pectore grates.

EPI T A P H I U M

P I S M A N I B . S A C R .

Hic jacet ille alto FÜRERUS sanguine cretus,
Maximus Ingenio, nec Pietate minor.

Hic jacet ille Pius, Sinai culmina montis
Qui petijt, longâ Ierusalemq; viâ.

Hic jacet ille, olim Rodolpho Maximo in orbe
Romano, in summo qui fuerat pretio.

Hic jacet ille (dolor) qui bello expertus & armis,
Nobilibus Francis spesq; decusq; fuit.

Hic jacet ille sacri Iuris defensor, & aequi
Custos, qui dulcis pacis amator erat.

C c

Hic

Hic iacet ille Pater Patriæ, memorabilis Heros
Noriacæ, & propriæ fida columnæ domus.
Hic iacet, heu! Pietatis honos, reverentia legum,
Iustitiae speculum qui fuit & fidei.
Hic iacet, heu! omnis certò Virtutis asylum,
Anchora qui pressis præsidiumq; fuit.
Hic corpus recubat, veniet dum CHRISTUS ab arce
Index: ast animum clarus Olympus habet.
Hac quicunq; legis lacrumas adsperge: Beate,
Dic, Fürere Haveas, Perpetuò Valeas.

Christoferus Hœflichius
LL. & Poët. stud.

In funus avi sui longè desi-
deratissimi.

NOridos indulget lachrymis Respublica largis,
FÜRERIq; gemit funera mœsta Patris.
Nam velut amissō duce miles oberrat in agris,
Nec quem respiciat, quem vē sequatur habet:
Sic Hæc innumeris rerum quassata procellis
Fluctuat & dubijs it remeat q; modis.
Sed, quid in assiduo sua tempora ducere luctu,
Quid vē oculos fletus fonte rigare juvat?

Quin

*Quin potius placeat nobis divina voluntas,
Quæ regit & vita puncta, regitq; necis.
Optemus placidam membris sine fine quietem,
Manibus aetherei regna petita poli:
Atq; simul nostræ spectemus termata vita,
Dum nobis reddat Patria vera Patrem.*

Jodocus Christophorus Kressius
à Kressenstein defuncti ex filiâ nepos.

In ejusdem viri Magnifici &c.
Tumulum.

*S*I quis adhunc tumuli pertingas, advena, cippum,
Et cuius siet hac corporis urna? roges;
Accipe: Virtutum terrâ chorus omnis in istâ
Conditur, & nostri principis ossa cubant
FÜRERI, quo se iactaverat alma beatam
Noris, & extulerat summa per astra caput:
Cuius in extremas mundi se fuderat oras
Nomen, & ad superas veneratusq; plagas:
Quiq; salutiferas populo præfigere leges
Norat, & Astra munus obire sacrae:
Cuius in ore sibi Suadela locaverat arcem,
Quiq; fuit nostri sublica firma fori.

Cc . 2

Ipsa

*Ipsa polifacies acrem testata dolorem,
Induit in varias se caperata notas:
Publica Res stabili pacis subscude remotā,
Ut viduum vivo stymma liquore iacet,
Pallida macrescens luctūq; exesa, fidelem,
Conqueritur fato succubuisse Ducem.
Scilicet insignes cœlestis curia mentes
Eligit, & magnos poscit a vetq; viros.
Ergo quibus fuerint justæ bona publica cura,
Cælica, pro cæno, rostratenebit, humi.
Tu pia justa Rogo persolve, voréq; beatus
Vivat in Elysii Duxq; Paterq; jugis.*

Joan. Schröterus facieb. Aldorp.

Consolatoria
Ad Ampliss. & prudentiss. VV. D.
CHRISTOPH. & Dn. JOAN. SIGISM.
FÜR EROS ab Haimendorf fratres, incl. Reip.
Norib. Senatores, affines meos dilectiss. &c.

Voli hoc epistolio paucis dolorem & ουμπάθειαν meam te-
stari, quem ex obitu parentis vestri, viri nobilissimi mihiq;
multis de causis commendatis, affinis per honorandi, con-
cepi. Nulla namq; in mundo gravior jactura, quam eum amitte-
re, quem ex animo diligas, & à quo verè ameris, quodq; ex animo
diligitur

diligitur, ex animo quoq; defletur : Viros quin etiam singulares
nolentes passim notos sua reddit singularitas. Etsi verò mos est do-
lentium, ut cùm extinctum amicum lugent, totam ejus retrò vi-
tam & mores in argumentum doloris sui edifferant, malo tamen
silere, quam pauca de laudibus tanti viri dicere, cum videam hoc
officio probè defunctum Clariss. D. SONERUM in Oratione fune-
bri, quem perorantem in magnâ auditorum frequentiâ cum ad-
miratione lubens audivi. Optarim ego saltem cum Dario, nostræ
Reipubl. tantam FÜRERORUM multitudinem, quanta est grano-
rum mali Punici : fateor tamen cum Spartanâ illâ Dn. FÜRERUM
fuisse virum præclarum, sed habere Rempubl. Noricam multose-
tiam alios paulatim succrescentes, & vestigiis eiusdem viri recto
pede insistentes. Senatores mortales sunt, & hominum officia fun-
guntur, Senatus immortalis est. Recessit à nobis, sed non totus re-
cessit, reliquit enim nobis liberos, in quibus eum agnoscimus, & in
quibus eum cernimus, defensores dom⁹, & amicis reddentes grati-
am, ut cum Syracide loquar. Quibus finio & à vobis peto, affectum
hunc pium erga defunctum mihi condonari: gratus esse volui in
ejus morte decorandâ, cui nullam aliam gratiam referre jam pos-
sum, hacq; mei doloris significatione vestrum quodammodo sub-
levare, non cicatricem penè obductam reficare. Bruti libertatis
Romanæ vindicis statuæ superscriptum : Utinam viveres? idem
meum votum. Valete patres patriæ. Scripsi ex Musæo meo die 29
Novemb. Anno 1611.

Georg. Schleicher.



Hactenus Exsequalia : sequitur Auctarium.

D. CHRISTOPHORO FÜRERO &c.

amico suo tanquam fratri charissimo

JOHAN. POSTHIUS S.

Quid Tibi, dulce caput, faciā? quæ carmina scri-
Ne fidei dicar non memor esse me. (bam?)
Otia Pierides & grata silentia querunt,,
Flumināq; & sylvas, & loca sola colunt.
Ast ego clamores inter, variosq; tumultus
Vivo, nec à curis pectora nostra vacant.
Nec solum mihi luce domi vicinia tota
Obstrepit, & medijs turba molesta vijs:
Verūm nocte etiam stolidis perturboramantum
Cantibus, aut rixis, quas movet acer Amor.
Hinc meritò veteres coluerunt rura beata,
Et villis Romam posthabuere suis:
Præcipue quorum duxit sapientia mentes,
Et jussit doctis invigilare libris,
Vivit adhuc quorum clarissima fama per orbem,
Atq; coronatis alta triumphat equis.
Hos igitur strepitus inter quia vivere cogor,
Nec mihi luce datur, nec mihi nocte quies:

Ignoscas

*F*ignoscas nostra, FÜRER dulcissime, Musæ,
Quòd modò non dederit carmina plura Tibi.
Plura dabit, Christo fatisq; faventibus, olim
Ad patrios gaudens quando redibis agros.
Tum notas inter lauros hederásq; virentes
Ad solitos veniet latior illa modos:
Virtutésq; Tuas, & nobile stemma Tuorum.
Dicet, & ingenij dona beata Tui:
Quos peregrinando terrāq; mariq; labores
Pertuleris, longam sàpè ferendo famem,
Sàpè ferendo sitim calidi sub sidere Cancri,
Sàpè ferendo imbres, sàpè ferendo nives.
Nectamen interea libros neglexeris istos,
Quos decet ingenuâ volvere sàpè manu.
In primis quanto vatuum tenearis amore,
Et studio quanto carmina docta legas.
Hac olim: nunc ista Tibi, charissime Ductor,
Sufficient animi Symbola grata mei.

AD EUNDEM.

Dum raptas potero vivens meminisse Sabinas,
In memori semper Te quoq; mente geram:

Teq;

*Teḡ, velut charam reverenter amabo sororem,
Et casum multis commemorabo Tuum.*

Rome VI. Kal. Maij Anno 1565.

A L I U D.

*Quod varijs tandem superatis casibus, urbe
Contigit in patriâ jam Tibi grata quies;
Gratulor, atq; preces faustas has insuper addo,
Ut faveant rebus Dijq; hominésq; Tuis,
Ut Duce Te longum Respublica floreat, utq;
Perpetuifamam nominis inde feras.*

Idem Posthius D. Med. f. No-
rimb. pridie Non. Martii An. 1569.



DISTI-



DISTICHON

Cujus versiculus prior annum natitatis, posterior ætatis, uterq; simul conjunctim annum & mensem continet, quo Dn. CHRISTOPHORO FÜRERO seniori &c. primatus hujus Urbis delatus fuit.

tVM norlbergensi DVX In VestIt Vr In Vrbe, M. D. XXXX.
Vt te Iane bIfrons agItat soL, astra freqVentans. LXIII.

		Allus. Nom.		M D C III.
Christum	Corde	Colens, Communia comoda Curans		
HætenuS,	ô Heros,	Heroico Honorus	Honore	
Rite	Reformabis	Regimen, Ratione q;	Recti	
Inclytus	Institues	Ius, Iustitiamq;	Iuvabis.	
Sancta salus	Sic salva	Siet, sic Summe	Senator	
Tempora tuta	Togæq;	Tuæ Tranquilla	Tenebis	
Omnibus	Obsequiis,	Opibusq; Ornabitur	Ordo	
Patritius	Plebisq; :	Piis Patriæq;	Patronus	
Heros	Haberis	Honosq; : Hinc horror	Habeberis hosti.	
Officiosus	Opemq;	Operamq; Orantibus	Offer,	
Restaura	Rerum	Requiem, Reprobosq;	Repelle.	
Vrbs, vestris	Vincat	Veteres Virtutibus	Vrbes,	
Successu	Semper	Sic sorte Sequentे	Secundâ.	
Fata	Favent	Fœlixq; Favet	Fortuna, Facitq;	
Vrbs	Vt	Viðtrici Vigeat	Virtute Vicissim:	
Ejus	Et	Excellens Eris	Exornator, Eamq;	
Rite	Reges, Rebus	Requiem	Respublica Reddet.	
Egregiè Ellogiis	Ergo	Extolleris, Et	Ecce	
Res	Regimen	Requiem Reparando Restitues	Rem.	

D d

Christo-

**Christophorus Führeris ab Haimendorf, Senior,
eques auratus, patritius atq; Senator Primus
Reipublicæ Norimbergensis**

Anagramm:

I puni errores, erroribus impiger obsta,
Quin fer Ductoris munus, res nomen & omen
Arrident curis his, ipsaq; fata; Jehova.
Res simul his adspirat ab alto.

AL.

CHRISTOPHORUS FÜERER SENIOR.

O heros fer onus pro re Christi.

CHRISTOPHORUS FÜERERIUS SENIOR.

Sic heros honor Reip. futurus eris.

I res effusurus pro honore Christi

CHRISTOPHORUS FÜERERUS SENIOR.

Usu fer onus, heros, pro re Christi.

Sic per res herois futurus honor..

Heus pōst curru honoris fereris.

CHRISTOPHORUS FÜERER SENIOR.

Ire purus fer Christo honores.

Usu, re profer honores Christi.

AL.

CHRISTOPHORUS FÜERERUS SENIOR

Hic strenuus Heros: jus pro Ferro.

Stre-

Strenuus hic Heros pro ferro jus colit: hoc est,
Pro bello pacem consulit, optat, amat.

Carolus Nutzelius

à Sünderßpiel Eques

S. Cæs. Maj. à consiliis.

CHRISTOPHORUS FÜRER AB HAMMENDORF,
inclusæ Reipublicæ Noriacæ Duumvir primarius,

Totidem ijsdemq; literis μετιγέαμμαποθείς.

Urbis honor pulchrae, Clarium bona fama triumphum,
Cui pariet; serâ fronde viresce diu.

VEL:

CHRISTOPHORUS FÜRERUS AB HAMMENDORF, inclusæ
Reipub. Noriacæ Duumvir primarius.

Urbis honor pulchrae, rursum bona fama triumphum,
Cui parit; i serâ fronde viresce diu.

Nurembergensis Civitas

Per Anagrammatis.

Nescis? Urbium Regina est.

Bernhardus Prætorius P.L.C.P.

Synd. Reipl. Norib.

IN CHRISTOPHORUM FÜRERUM &c.

Epigramma.

DVctores, ô Fürere, bon⁹: quām cōvenit, ô quām
Convenit ingenio Nomen! E⁹ omen adest.

Dd 2 Dico

Dico & dicta probo, probat & Respublica nostra,
Quæductu atq; auctu floret ovatq; Tuo.
Quis sine vi, placidè, sine bile Tyrannidis expers,
Devincit solo corda sibi obsequio,
Heroum placido conditq; rigore favorem;
Ille mihi Ductor strenuus esse potest.
Qui vim consilio præfert, ferrumq; bilanci,
Istrahit, atq; Ducem non agit hercù bonum.
Fucundum Imperium est, Rex quando volentibus; at
Imperat invitis, difficile imperium est. (cum
Nolentes Fortuna trahit, dicitq; volentes;
Sic Rex: Hoc artis, Martis at illud opus.
Qui Martem in cerebro gestat, quem temperet arte,
Consiliog; facit, quod facit, ille vir est.
Tu moderato animo, quo nil preciosius extat,
Hunc Tibi commissum porrò tuere gregem.
Sic Te non Ductorem, etiam post secula cana,
Sed Patriæ dicet plebs numerosa Patrem.

A L I U D.

Hectora iam pridèm celebrant, iam Nestora pridèm
Condita ad arma manus, & sine face animus.
Patria quantum illi, quantum huic sua Gracia de-
Tantundem debet Noris amæna Tibi. (bet,
Cum

Cum laude & famâ virtus Tibi crescit in horas,
Quam, super hoc misero dum ferar orbe, canam.
Frigida cumq; mihi calor entheus ossa relinquet,
Eruet è chartis postera turba meis.
Quæ nunc concipio, nostro haud excussa cerebro,
Nata sed è titulis, Magne FÜRER E, Tuis:
Quæq; Tu inscribet quondam plebs grata sepulchro,
Cum Tu exultabis victor in arce DEI.
Sed si Iova mihi clementem arrexiserit aurem,
Non nisi post octo scribet olympiades. a)

a) Si rectè computabitur summa voti cum etate iam exactâ,
VIII nimirum olympiades, hoc est, anni XXXII, si adiicien-
tur ad etatis annos LXIX, prodibunt anni centum, atq; ita
integra hominis etas, quæ vocatur seculum.

ALIVD.

CHRISTOPHORUS FÜRER SENIOR,
Senator ac Duumvir

avayçap.

HECTOR imò NESTOR fui ohe! vir prudens, rarus, charus.

H Ector erā, imò Nestor eram, vir pectore præstās,
Vir rarus, cunctis charus eram; sed eram.
Atq; adeò hoc satis est, neq; iam vellem esse: fuisse
Nunc me, & cum tantâ laude fuisse juvat.

Joan. Cellarius.

IN EFFIGIEM
Dn. CHRISTOPHORI FÜRERI &c.
EPGRAMMA.

SCIRE CUPIS, QUEM NAM PRÆSENS DESIGNET IMAGO?
HOS LEGE VERSICULOS, ET BENÈ PERCIPIES:
CHRISTOPHORI EFFIGIES HAC EST PRÆCLARA FÜRERI,
NOTITIAM CUIUS VESPER ET ORTUS HABENT.
STEMMATE, MARTE, ARTE, ANTIQUA VIRTUTE, FIDÉQ;
NOBILIS, ET VERÈ NOBILISILLE FUIT.
QUI SOLYMA SANCTAS TERRAS LUSTRAVIT, ET INDÈ
MAGNANIMI HEROIS DIGNA BRABEIA TULIT.
QUI PRÆCELLENTI DOCTRINA EXULTUS, ET USU
RERUM CONSPICUUS, CONSILIÓQ; GRAVIS,
ILLUSTRI NORICÆ SUPREMUS IN URBE SENATOR
IURA DEDIT, PATRIÆ DUXQ; DECÍSQ; SUÆ.
JUSTITIA HIC CUSTOS, ALMA QUOQ; PACIS AMATOR,
NIL HABUIT VERÀ RELIGIONE PRIUS.
PAUPERIBUS VIDUISQ; PATER, MAGNUSQ; PATRONUS
HIS, QUI MUSARUM CASTRA SEQUUNTUR, ERAIT.
QUIN MIHI MECÆNAS DIVINITUS, ATQ; SALUTIS
EXTITIT HIC SOLUS PORTUS ET AURAMEÆ.
• ERGÒ VIRI TANTI NOMEN LAUDÉSQ; MANEBUNT,
• DUM CÆLUM STELLAS, DUM FERET ISTER AQUAS.

Johan. Rüger U. J. D. & p. t. Aulæ
Saxonicæ Isenaci Consil.

ACROSTICHIS
in ejusdem imaginem.

F ortis militiâ, prudens pace, arte politus,
V irtutumq; gravis pondere, rég; potens:
E xternas adijt genteis, stirpisq; vetustæ
R epere eum splendor non sinit altus humi.
E cquem tam large, si queras, J ov A beârit?
R itè caput numeris subtrahet, Nomen habes.

Jo. Stamlerus Norimb. JC.
Imp. Cam. Advoc.

A L. in effigiem.

H Æc est Christophori F Ü R E R I illius imago,
Noride qui primas Urbe Duumvir habet.
Pectora consilijs cui sunt instructa trecentis,
Seu tuba, seu poscat sella Curulis opem.
Quies Pegnesus ovat, queis Mœni lata triumphat
Ripa, Methoneis incluta ripa botris.
Qui Siculâ, nec non Melitæ strenuus arma
Classe tulit: Sancti qui jugacelsa Sinæ:
Et Libanon, Solymosq; adijt vernantibus annis:
Emeruitq; Equitis nomina digna Sacri,
Pannonijsq; ensēm Christi vibravit in hostes,
Ut quoq; Sarmaticis post cataphractus agris.

Elloquio

*Elloquio Nestor, manu Achilles, mente Lycurgus:
Justitia Chiron, & pietate Numa.
Sit hospes dux iste diu: duce hospite tali,
Publicares etiam Norica hospes erit.*

Bernhard. Prætorius P.L.C.P.
Synd. Reip. Norinberg.

IN FÜRERORUM INSIGNIA
GENTILITIA.

Mysterij quid juncta LILIO ROTA
Habeat, rogas, Hospes bone?
Edifferam nî scæva fallat mens. ROTAM
Motum notare perpetem;
Virtutis, aiunt, LILIUM esse Symbolon.
Fatale næ consortium est.
Motu perenni fertur ocio procul
Ad astra Virtus enthea:
Neg, feriatur deses: at prodest suis
Domiforis laboribus.
Hac stemma Vestrum per laborum semitas
Ad apicem Honorum ductitat.

Georg. Remus JC.

ALIUD

A L I U D.

Candida cum rubeis rotulis quæ lilia cernis,
Nobile Füreridū stemma decusq; notant:
Armigeri sed iuncta Iovis pernicibus alis,
Ut præclara virūm fama per astra volet.

A L.

*Cui rota syderei, Pater Optime, paret Olympi,
Florida quem celebrant lilia, Nostra salus.*

Ernestus Sonerus Med. D.

A L.

Lilia Virtutis candorem emblemata signant,
Cui Rota Fortuna perpetuò comes est.
Coniugium bellum! Quid enim Virtutibus absq;
Sors est! aut virtus quid sine sorte potest?

Casp. Hofmannus Med. D.

A L.

FÜRERIDŪM prisca cernens insignia stirpis,
Dixit Apelle& fama quid artis opus?
Nam propriā virtute valent, & pondere rerum,
Quin & notitiam Martis & Artis habent.

E e

Lilia

*Lilia candorem sinceraq; pectora signant,
In quaē Fortuna nil rota juris habet.
Virtus cōpressa in pondus ceu palma resurgit,
Quōq; magis premitur, tendit ad alta magis.*

Thomas Cleuselius Ratisb.

IN SYMBOLUM DN. CHRISTO-
PHORI FÜRERI &c.

PAX OPTIMA RERVM.

SEmper triste cluet bellum: Lætissima pax est.
Prædas semper habet Mavors, incendia, cædes.
Arva colit, merces permutans trans freta mittit,
Congerit & gazas, arces atq; exstruit urbes
Optima Pax rerum: Pax jucundissima rerum.
Festâ pace pijs da, Summe JEHOVA, fruisci:
Artibus & Pacis super aethera tolle FÜREROS.

Georg. Remus JC.

IN DUUMVIRATUM CHRISTOPHORI
FÜRERI &c.

QVi dignum virtute locum, qui dona ministrat,
Absq; quibus ferritam grave nescit onus:

Is,

*7s, FÜRERE, Tuis spatum diuturnius annis
Adijciat: fatis cætera mando Tuis.*

AL.

*FÜRER fit Lunâ atq; die crescente Duumvir,
Illi crescentes dent quoq; fatal dies.*

Christophorus Girsnerus Reip.
Norib. à Libell. Secret.

ALIUD in Duumviratum.

*S*Olus ego ergò nihil, Senior Fürere Duumvir
Gratuler? Haud adeò rerum sum nescius atq;
Immemor officij: Nec si mihi tempus & hora
Una negavit, idem hoc porrò sic omne negabit
Tempus; & à Vestrâ nil me remorabitur unquam
Laude amplâ. Nec enim laus hac unius opellæ est
Aut operis: Tantum se divinissima Virtus
Omnibus insinuat, ceu lux clarissima cœlo
Affulgens oculis cæco non carcere clausis.

*Tempus erat Noster vili quo vilior algâ
Est habitus, non à nobis, qui novimus ipsum,
Sed populis Scythicis, bello atq; tyrannide sâvâ
Notis, & nullâ vivacibus arte Minerva,
Prætersanguinea mortis cum vulnere causas:*

E e 2

His

His habitus miser est, & Corchorus, ac lapide emptus,
Compede Turcarum durâ, dum limina pulsat
Turcica, captivus juga portaturus aratri,
Remigis aut miseri classem moturus in hostem,
Idq; flagellatus multâ vibice per omne
Dorsum, quincuplici scuticâ dissectus & armos.
Ast meliora Deus Iuveni Fortuna reduxq;
Redditur ergo Lari Patrio post multa pericla,
Thesauro rerum variarum instructus, & omni
Arte suis tantis Natalibus atq; Senatu
Dignâ. Linguarum quovis sub judice certet
Agmine, cum quovis satis Oratore diserto.
Nuper idem quidam vicinus Episcopus hospes
Afferuit mecum, laudes & nomen in æra
Incidenda volens. Illustri nempè quod aio
Teste probo, nostri FÜRERI mirio testis.
Cætera Prætorem magno cum nomine vatem,
Consule, FÜRERI qui scripsit stemma genusq;
Verius, & multâ cum laude ab origine primâ.
Ast meus, interea nostrâ fit in Urbe Duumvir,
FÜRERUS senior, non unâ voce sed omni
Consensu Patriæ, Magni Procerumq; Senatus.

711

Ille Magistratus, Ducis instar in agmine, praeit
Consilium, voces moderatur, frangit, & addit
Pondera Iudicijs aliorum: & summa potestas
Est penes hunc. Ideò nisi quis censemur ab annis
Ac usu vario rerum prudentior, haud fit
Quod fieri potuit Fü R E R U S, nempè Duumvir,
In re tam lautâ populi vigilantior ampli
Thesauri custos, ubi, nescio, nempè reposti:
Hujus & imperio proprio grex agrotorum,
Et qui præ senio certatim publica quarunt
Hospitia, & curam meliorem munere magno
Indultam parent: Gmina hic quoq; sustinet Ädis
Sacrae publicitùs curam: hic moderatur habenas
Totius patriæ, populo ac mercatibus ampli
Pegnæsi Dominae. Tantum meus ille Duumvir
Impositum geminis humeris iam sustinet ergo
Pondus, Atlas quantum, Cœlum qui sustinet ulnis.

Ergo Deus, nostris votis qui incumbis, & audis
Vsq; preces nostras factas in nomine Nati,
En Tibi mendicam dextram! Te poscimus unum hoc,
Qui regis imperio terras, mare, & aëra, & ignem,
Infera cum superis, tantis in fluctibus hisce

Imperio tanto nocuis & fascibus Urbis
Noridos, ob puri verbi cœlestis, & illam,
Curam, quâ solâ superum superamus Olympum,
Huc advorte animū, DE⁹ Optime Maxime, & omne
Hunc Populum ingenti votorum pondere lassum,
Pro patriâ tantâ tandem clementer inaudi.
Si Tibi nostra salus, Tibi si Germania cordi est,
Audi, audi e vigilans: nisi Tu nos: hercè perimus,
Quotquot ab insidijs ac astibus usq; timemus
Ditis, & intensis sæviſſimi ab arcubus hostis,
Quem scelerum moles nostrorum in bella laceſſit,
Sanguineam voluentem aciem, quem Thracius albis
Portat equus maculis dirū, indomitumq; furentem:
Ecce Tuum populum, roranti sanguine multo
Faucibus inferni; quem Tu mortalia passus
Afferuisti, animam ponendo, victus amore
Humani generis, propriam: Deus Optime, cunctum
Noridos hunc populum votorum pondere pressum
Erige ſpe Patriæ Pacis, dulcisq; quietis,
Hoc moderante viro rerum discrimina nostro
FÜ R E R O, geminas calleſ qui Palladis artes:
Utilis in bello, pacis nec inutilis auctor,

Sedulus

Sedulus inspectoꝝ scriptorum, multus in Actis
Ante revolvendis, quām res cum lite geratur,
Testibus hoc scribis ipſis cordatiūs aio.
Qui toties magni Legati munere functus,
Tam memor est veterū, quām quis queat esse nova-
Rerum. (sic vivo & gemino Respub. teste, (rum
Hoc moriente viro magnā cum clade carebit)
Hoc averte, Deus, nostris à Civibus omen
Damnosum nimium (satis est vidisse duorum
Funera tantorum nuper memoranda virorum)
Hoc averte Deus! Tibi si Germania cordi est,
Ne fōrs si careat tali Respublica ocello
Nostra, per immensum Furiarum permeet horror.
Accipe Thura precū, Deus, & miserere precantūm
Pro Patriæ tanta, Patriæ Patrisq; salute:
Ipse quidem meruit, (meritum si respicis ullum)
Aut, si non meruit (meritum non respicis ullum)
Gratia pro merito subeat, qua respicis illos,
Quisibi diffisi, quarunt in morte vel ipsā,
Nempe Tuā, vitam. Quoddum facit ipſe, quid ergo
Vivere non posſit? Vivat, vivatq; quot optat
Annorum ſpacijs longis, ac viribus aequè

Corpo-

*Corporis ac animi validis, quò muniatanta
Expediat populi, multā cum laude, nec absq;
Utilitate pari: Sic Temactabimus usq;
Thure novo, dederis si quod Tē publica poscit
Concio nobiscum. Da quod Tē poscimus omnes,
Omnibus ut facias votis satis. Ergò, JEHOVA,
FÜRERUM Patriæ Patrem melioribus astris
In columem presta, supra vel Nestoris annos.*

M. Christoph. Reich
Eccles. Sebald. Diacon.

IN NATALEM DN. CHRI-
STOPH. FÜRERI &c.

*CHRISTOPHORI quoniā fulgenti luce Camana
Natalem aspiciunt, Magne FÜRERE, Tuum;
Transactum Tibi gratantur feliciter annum,
Proq; secuturo tempore vota ferunt,
Uno ore optantes Patri&q; suoq; Parenti,
Ut mens in salvo corpore salva siet.
Et velut elapsos egisti jugiter annos:
Omnia sic vita tempora latus agas.*

Sis

Sis Patriæ columnen, fidusq; Duumvir, & ingens
Gloria, sis Generis maxima fama Tui.
Te Duce sit Noricus fælix per secula Fiscus,
Te Duce pax vigeat, regnet & alma Themis.
Te Duce contemptis redeant sua præmia Musis,
Te Duce stet vatum gloria, fama, decus. (vum
Tu quoq; Nestorium, Christo Duce & auspice, in a-
Sis Patriæ & populi Duxq; Paterq; Tui.
Hoc Norici cives poscunt, hoc corde Scröderus
Toto optat. Votis annue utring; Deus.

Janus Henricus Scröderus de Gu-
strovy Magapol. Eques & P. L.
Cæsareus.



Ff

Summo

Summo Viro

CHRISTOPH. FÜRERO

ab Haimendorf &c.

Patrono & Mæcenati suo gratiosissimo.

STirps generosa Tibi est, animus generosior in Te:
Quin in Te Virtus possidet ipsa locum.
Tu Sol & Sal es, caput urbis Noridos es Tu:
Martem Teg, colant Norica Castrorum.
Jure meas igitur, FÜRERO, merere Camanas,
Qua censu florent, clare MELISSE, Tuo.

A L I U D.

Fortis re, patriâq; pervetustâ
Verè nobilis, ô Eques corusce,
Patrici generose, Magne & Ample
Senator, Caput urbis universæ,
En Te como meis virum phaleucis
Paucis magnificum: libens capesse,
Et patrem mihi Te crea secundum
Voluntate Tuâ, & Tuo favore.

Sic

Sic Tuus quoq; filius videbor
Cunctis officiis. Patronus esto,
Cliens esse volo. Sed ecce visum.
Sic mihi est. Quid dubitare ego ausim in hac re?
Juvisti (scio) pauperes Magistros:
Juvisti (scio) pauperes Poëtas.
Cur me laurigerum velis Poëtam
Exclusisse? Tibi mea est Thalaea
Favens tota, Tuasq; nata laudes
In totas, hominumq; candidorum.
Hac in urbe placet manere. Quod si,
Prospe, mansero: Noricos Camœnis
Commendabo meis, perennis servus
Vester, Patricios bonosq; cives.
Hoc si fecero, non sat est? sat, inquis.

M. Z. P. L.

Ff 2

JOHAN.



JOHAN. ERAXINE US
Gothanus Tyrigeta P. Cæsar. Ele-
giâ ad DANIEL. SCHULENBURG.

quam libris tribus, vita ALEXANDRI

SCHULENBURG prefixit,

inter alia, ut sup. in Itinerar. pag. 34. ad marg. innuimus,
de FÜRERO ita canit:

Plurima Christophorus monuit FÜRERUS: ab hu-
Jndicio cœp certior esse viri &c. (jus

ITEM

Libro primo, paulò ante finem, ubi

ALEXANDRU M constituisse narrat

D Erlustrare Asia — amplissima regna,
Ac Sotymas arces, & CHRISTI nobile bustum,
Laudatamq; Pharon, regumq; immania signa
Pyramides. Iuvat ire animus, rapit impetus ILLUM,
Nulla mora in juvene est, curas sub pectore volvit,
Sollicitusq; animi de fido inquirit ACHATE,

Cui

Cui vitam, cui sensa animi, cui crederet omne
Consilium —————
Dumq; ita curarum mens intus fluctuat astu,
FATA virum ostendunt, cui se committere posset,
DUCTOREMq; via FÜRERUM. Norica tellus,
In lucem ediderat constanti pectore & ore,
Cuius & antè fides gravibus perspecta periclis, (di
Quà Rhodanus, quà flavus abit quoq; Matrona, si-
Sapius expertus FÜRERINOBILE pectus. (sten.
Hunc velut Euryalum & constantem adjungit Ore-
Qui nunc patricio de sanguine, Consulis amplio
Fungitur officio, dat jura volente Senatu
Illustris trabea Pegnesi ad flumen avitum &c.



Coronidis loco

Hanc JOAN. PALUDII epistolam, luce non
indignam, subjcere placuit
ad Dn. CHRISTOPH. FÜRERUM &c.

VIR PRÆSTANTISSIME, Satis heri Te nosse
cœpi ex tuis colloquiis, sed nomen tūm de-
mum rectius, cūm jam abiisses. Qui Te ignoret,
oportet ut omnia ignoret, ut ipse sit obscurus. Vir-
tuem Tuam, eruditionem, & experientiam amare
ego & prædicare non desinam, donec is, qui sum,
esse desinam, & gratiam habebo perpetuam Cla-
riss. °D.° PHILIPPO CAMERARIO; quod concilia-
tor fuit nostræ amicitiæ. Vivam & moriar in eo-
rum amore, qui verum illud amant decus, quod
hominem separat ab homine, & cum Deo con-
jungit. Vive Tu quoq; & Vale, ornamentum Pa-
triæ. Salutem per Te, nisi grave, summo Viro Dn.
BAUMGARTNERO, & DD. CAMERARIIS. An. 1597.


T. observantiss.

Joan. Paludius P.

FINIS




Cernis, ut ignitis raptetur ad astra quadrigis,
Ignitus Zelo mysta, propheta DEI:
Sic, quis Christus amor, quis Christum cura doce-
Ad cæli niveis castra vehentur equis. (re,



NORIMBERGÆ
Typis Abrahami Wagenmanni.


M D C X X.




¶ Eum in lignis habetis et in aliis
Iustus regnabit deinceps D 21:
Sic dominus Christus noster dominus Christus omnia acc-
edit. ¶



¶ NORMANIA
¶ Typis Apisitam A Segmunti
MDCCX



ae



FVRER.
TINERATVN
1674.





